DE REAEDIFICATIONE MONASTERII SANCTI. MARTINI. DE. SCALIS...



LVDOVICVS. ARCA. I.C

LVDOVICO DE TORRES ELECTO MONTISREGALIS

S. P. D.





VPERIORIBVS annis, cum inter Andreæ Spinulæ Domini mei, ſcripta, eo tempore, quo ille mundo renuntians, I E S V, ſeſe in eius ſocietate penitus deuouit, libellum ſibi abs te miſſum reperiſſem, faciendum mihi duxi, vt illum ad te remitterem, quòd iura in eo eccleſiæ illius contineri videbam, cui Patruus tuus magna nominis ſui commendatione præfuit, cuiq́ue tu nuper in eius locum ſumma bonorum omnium gratulatione ſuffectus es. Igitur libellum hunc, vel obſeruantiæ erga te meæ teſtem, vel voluptatis, quam recenti hac amplitudine tua mirificam capio, indicem accipies, meq́., ut facere inſtituiſti, amabis. Vale.

LVDOVICVS. DE. TORRES
VTR. SIGN. REF
ANDREAE. SPINVLAE. CAMERAE
Apostolicæ Clerico S. P. D.



NTIQVA *Italiæ tabularia multa euolui, ac diplomata, apud omnes ferè prouinciæ huius ecclesias asseruata, inspexi, vt Ludouici Archiepiscopi Montisregalis, collegæ tui, & patrui mei, mandatum quàm diligentissimè exequerer; is enim mihi præcepit, ut quidquid ad nobilissimæ, cui præest ecclesiæ decus, & gloriam pertinet, ex vetustatis monumentis colligerem. In ea cura dum versor, incidi forte in hunc libellum, ducentos ante annos, à non malo auctore, pio certè, sed paulò verbosius compositum, & mutilum, ac mendosè, vt fit, à librario descriptum, quem ab ipsis S. Martini monachis exscripsi, &*

quan-


quantum potui, pluribus in locis correxi: nunc verò casu peruenit in manus meas, libri ipsius multo antiquius exemplum, aut fortasse etiam primarius codex, diu à me summo studio conquisitus, vt eius ope menda è meo exemplari facilius tollerem, quòd non planè benè mihi euenit, nam hunc quoque mancum reperi, & parum accuratè scriptum, adiutus tamen ab eo sum in aliquorum erratorum emendatione. Verum cum non omnia, quæ in ipso continerentur, ad institutam à me historiam facerent, excerpsi ex eo pauca quædam; cum autem reliquis ægre ferrem alios carere, sunt enim scitu omnino non iniucunda, placuit integrum, ita ut erat, librum foras dari. Ac, quoniam historicæ huic scriptioni caussam dedit Manuel Archiepiscopus Montisregalis, quem ego è veteri, & illustri familia tua, Spinula de Luculo, exstitisse, certis argumentis primus ostendi, consequens etiam esse duxi, virtutis illius gloriam, hisce scriptis testatam, me auctore, in publicum prodire. Libellum autem ad te mitto, ut cognoscas, eam pietatis laudem, quam tu cupidissimè persequeris, in hoc gentili tuo floruisse,

52

a ii

ruisse, esseq́; maiorum tuorum propriam, utq́; ex hac exigua summa in te mea beneuolentiæ significatione statuas, me unum ex ijs esse, qui te ob eximias virtutes tuas in primis studiosè colunt, & obseruant. Vale.

E Monteregali Kal. Mart. CIↃ. IↃ. XXCII.



DE

DE REAEDIFICATIONE SANCTI MARTINI DE SCALIS MONTISREGALIS DIOECESIS.





EAEDIFICATIONEM Sancti Martini de Scalis Montisregalis diœcesis, iuuante Domino, commendare memoriæ dignum puto: quam tanto lucidius Dominum cognoscimus operatum, quanto eius operatione præuentam, nec minus cooperatione perpendimus manifestè completam. Cuius nutu bonorum operum fundantur initia, cuius directione fundata proficiunt, & proficientia tanti arbitri moderamine, congruo limine terminata, bene disposita, fixeq; statuta perdurant. Cuius ædificium nemo destruet, quod verò destruxerit, quis ædificare valebit? Quo iubente Noe arcam longo labore compleuit, quo resistente Babel turris imperfecta remansit, sed temerariè construentium confusis labijs superata peruanuit temeritas superborum. Quo monstrante Moyses tabernaculum pulchra varietate monilium consummauit in eremo. Cuius immensitati Dauid domum ædificare proponens, humiliter destitit prohibitus per Prophetam: sed ad huius ædificium structuræ, qui patrem prohibuit, filium elegit, quam miri decoris compositione perfecit, vt ipsius Regis gloriæ magnitudinem paterna monstrante doctrina decebat. Quid ergo psallimus? Nisi Dominus ædificauerit domum &c. Quiq; de se dicit: Sine me nihil potestis facere. Nonne ipse Regem Nabuchodonosor gloriãtem de fabrica Babylonis à tantæ gloriæ sublimitate deiecit victurum cum bestijs, donec per

per conditionem fragilitatis humanæ, tamquàm subitæ, miserandæq; ruinæ stuporem cognita diuinæ iustitiæ potentia proprìam miseriam humiliter confitentem in Regni solio relocauit. Quis igitur nisi stultè cogitet, præfati monasterij restaurationis, Dominum non fuisse cooperatorem, cuius officinæ, quæ tam longa dirutæ vetustate, putriq; puluere tectæ iacebant, sunt ad decentem consummationem, & leuationem reparatæ? Quin potius in eis animæ quotidie reparantur dirutę seculi vanitate, diabolicisq; fraudibus ab amore sui creatoris abstractæ, sed innocentes ingressas malignitas non offendit ad superiora tendentes per augmenta virtutum spirituali domo de vtrisq; surgente, fundata supra petram, de qua dicitur: Petra autem erat Christus. Nomina verò monachorum, qui ad reparationem prædictam primi, Domino auxiliāte, vocati venerunt, sunt hæc, videlicet, Fr. Angelus sacerdos, Fr. Ioannes diaconus, frater eius germanus, Fr. Paulus subdiaconus, Fr. Bartholomæus, Fr. Angelus, & Fr. Franciscus cōuersi. Quorum virtutes quales, quantęq; fuerint, quamque dignè memorandæ, certe labor infatigabilis aduersorum tolerantiæ non ignarus egregijs manifestat operibus: sed ex locorum diuersorum distantia comprobat tam fœlix concordium conuentio monachorum.

Fr. Angelus de Sinisio Cataniensis.

Monasteriū S. Martini.

Igitur fabrica prædicti monasterij, à quo primum, vel à quibus inchoata fuerit, vel consummata, nescitur: existimatio tamen multorum est, vnum fuisse de sex, quæ beatus Papa Gregorius fecit in Sicilia congruis redditibus dotata fundari: creditur etiam in eo tunc monachas habitasse, quia in eius registro quædam epistola reperitur ad Archiepiscopum Panhormi directa, in qua monasterij S. Martini fit mentio specialis, pro duabus videlicet monachabus, quarum vnam inde calumniosè depulsam, pro sua iustitia ad idem monasterium reduci iubebat, alteram

verò

verò ad aliud pro suis ineptitudinibus transferendam? Quãto vero tempore durauerit in eo Dei cultus, seu qualiter fuerit destitutum, quæ've causa destitutionis ipsius similiter ignoratur, destitutum tamē ab antiquioribus semper scitur, sed numquam nisi nouiter à prædictis monachis institutum. Elapsis itaque tot annorum curriculis, quibus nulla nouit ætas, nulla potest narrare vetustas, nullius memoria recordatur, dictum monasterium, nisi vaccas, & pecudes incolentes: scitur tamen nunquàm S. Martini vocabuli perdidisse decorem. Pro pudor, non puduit tanti nominis locum pecorum fœditate replere. Scilicet, ut fœdius in eo dictu, vel factu cogitari non possit. Promptiores enim sumus labefacere munda, quàm mundare fœdata, paratiores corrumpere, quàm corrigere, fortiores subuertere, quàm ædificare. Nisi quod in omnibus ante magistri, quàm discipuli delectamur haberi, sed in ijs, vnde Deus offendatur, quis aduertit, quis prospectu mentis attendit? Venit tempus, quo Dominus domum suam tam præclaro nomine decoratam, antiquarum sordium concretionibus emundare prouiderat, & ex ea opprobrium gentium auferre, nec ultra esse in inimicorum derisum, qui longis eam temporibus ignominiosè calcasse gaudebant. Volensq; in ipsam de suis electis ad eius salutare ministerium aliquos cõgregare dispersos, misit ministrum suum, Præsulemq; præclarum, Manuelem videlicet Ianuensem de Spinulis de Luculo, nobilem quidem secundum sæculum, sed nobiliorem apud Christum laudibus operum comprobatum. Hic veniens in suam cathedralem Ecclesiam Montisregalis, ecclesias, & monasteria sibi subdita, debito boni pastoris more, visitare prouidit. Ad monasterium igitur Maniacense, quod in Sicilia quidem pro terrenis facultatibus celebre nomen habet, visitaturus adiuit, & inuenit illud, pro dolor, non solum obseruan-

Manuel Spinula Archiepiscop' Montisregalis.

1341.

Monasteriũ Maniacense diœcesis Mõtisregalis.

seruantia regulari, sed omni penitus honestate relictum, sicut nidus à columba relinquitur, à serpentibus occupatus: siquidem non vox psallentium audiebatur in choro, non lectio in refectorio, de dormitorio silentium fugerat, curaq; pietatis domum reliquerat infirmorum. Quid, hæc videns, ageret pius Præsul, nisi zeli domus Domini dissipatę dolore compressus, in quæstus clamorem prorumpere cogeretur? Deus venerunt gentes &c. Et de templo Domini vendentes, & ementes, immo profanantes expellere, mensas nummulariorum, sed magis polluentium sordes, & immunditias eijcere, sequens exemplum Domini Saluatoris. Prouidit itaq; dirutæ domus reparare ruinas, & ex ouili dominico lupos extirpare voraces, ac oues introducere, quibus sacrificium placabile, holocaustiq; Domino munus redderet acceptum, sed ut expeditius faceret, curauit à fratribus auxilium petere, ut eijceret de montibus Chananæos. Et inde recedens Cataniam properat, cuius ecclesia sibi suffraganea de more visitata proripuit iter ad monasterium S. Nicolai de Arena in sinu Aetnæ montis positum, cuius quanta sit celebritas, rigorq; districtionis, præsentibus clarè patet, absentibus verò volantis famæ diffusa fragrantia suauiter redolescit. Vbi tunc plures LXX. monachos sub Abbate Iacobo, viro quidem spiritualium virtutum operatione probato, modesta districtio regulæ pari vitæ conuersatione contentos vnanimiter gubernabat. A quibus præclarus Pastor, qua sit deuotione susceptus, insignia demonstrarunt officia caritatis, cuius gratanter exhibitis secundum regulare mandatum omnibus humanitatis obsequijs. Gaudebat quidem in nemore reperisse domum à Salomone constructã, cuius officinas, & clausuras admirans, delectabatur in eis videre ceruos salientes in montes, erinaceos confugientes ad petram, camelos ad onera portanda paratos, agnos

Cataniensis ecclesia suffraganea Montisregalis.

Monasteriũ S. Nicolai de Arena.

F. Iacobus Abbas.

Manuel Archiepisc.

depu-

deputatos ad victimam, canes latrantes in nocte pro custodia domus, contra voracium luporum incursus, & multiplices versutarum vulpium insidias, milites præcinctos ad prælium, virgines tenentes lampades ardentes in manibus cũ oleo in vasis suis paratas, exspectantes sponsum, quando reuertatur à nuptijs. Quid plura? Gratulabatur ibi prospicere pennas sibi datas, ut columbæ, quorum in in suo monasterio vestigia non vidisse dolebat. Hæc cum admiratione lætus aspiciens ex ijs aliquos habere decreuit electos, quorun viribus confisus Maniacium vitiorum fœditate purgandum, fragrantium virtutum decore muniret. Quod quidem ad obseruantiam regularis legis tota sedulitate mentis reducere cupiebat. Quapropter Abbati, fratribusq; conuentus, sui cordis intentione reserata, humiliter ex eis duodecim ad hæc idoneos benignus postulauit Antistes. Quid ad hęc illi? nisi quod exemplum Domini imitantes, perficerent? qui semetipsum tradidit pro omnibus, eiusq; mandatum: Omni, inquit, petenti te tribue, beatissimiq; patris eorum Benedicti tam profluam benignitatem, qui per cuiusdam Præsulis nũtios obnixe pro causa simili postulatus sincera suę largitatis aperiens, beatum Maurum, quatuorq; è fratribus comites ad eum, subtrahens sibi magnum suæ vitæ solatium, destinauit. Numquid istos decebat negare præsenti, quod ille longe posito per legatos annuit postulanti? Deniq; Abbatem, & Monachos pia vota, gratam petitionem, iustaq; desideria caritas compulit acceptare rogantis. Et electis ex eis xij, sex videlicet superius nominatis, cum alijs sex, quorũ primus prænotatus Fr. Angelus dux est vndecim pręstitutus, & pater. Ad huius sarcinæ supportationem ab Abbate singulariter electus, & rogatus de totius corpore congregationis, & ab ipsis vndecim gratiori voluntate receptus est; quia nimirum dignitate venerationis, actione virtu-

Monasterium Maniacense

Maniaciũ.

F. Angelus.

tum, scientia doctrinę præ ceteris enitebat; qui tunc ipsius monasterij Præpositus quantæ fuerit cunctis vinculo dilectionis annexus, impræsentiarum adhuc fratrum sibi coæuorum superstitum sua pręsentia caruisse dolentium testimonio comprobatur. Igitur ij duodecim numero xij. Apostolorum, obedientię præceptorum præscripti Præsulis à nexibus Prioris absoluti pariturі subduntur. Sed quis putet eos proprię voluntatis impulsu de solo spiritualis natiuitatis abscedere ad aliud progressuros ignotum, nisi sola charitate, patrisq; amica compulsione spiritualis ad hęc eos obnixe blandi, vt ita dixerim, imperij precibus valide perurgentis? immo proculdubio diuinus credendus est nutus, qui tam sanctę fabricę machinam illos elegerat erecturos. Quibus reprobum videbatur effugere tam gratum Deo bonum, quod pro salute multorum suppositis ad onus humeris multos sanctorum legerant mente suscepisse deuota. Iam recessuris benedici petentibus, sed fletu verbis interruptis, quis quęso poterat respondere: Valete? seq; mutuo complexantes ora rigant lacrymis, singultibus oscula rumpunt, quia quantum in corde dulcis restabat affectus, tantum diuisio sentiebatur amara. Sic Dauid à Ionatha, Paulum à fratribus, Maurum, & socios à magistro, fratribusq; legimus profusis mutui mœroris profluè lacrymis separatos. Inde petunt campum milites Christi contra diabolum, suaq; membra, noua pręlia longo certamine confecturi. O felix exitus pugnatorum, quàm felicior erit ingressus ad pugnam, quam felicissimus peruentus ad palmam. O felix cuneus, & si paruus numero, magnus tamen virtute pugnandi; cuius arma non carnalia, sed spiritualia sunt, cuius dux Christus est circundatus legionibus Angelorum, non Rex terrenus belligerorum tumultu vallatus; quē vexillum sanctæ crucis in cordis humilitate defixum pręcedit, nō pannus clarus in hasta co-

Obedientia Archiepiscopo Montisregalis.

ſta colorum varietate diſtinctus,à quo bellum non ſolum contra carnem, & ſanguinem, ſed contra poteſtates aereas,& ſpirituales nequitias in cęleſtibus,contra rectores tenebrarum harum viriliter præparatur. Exeunt audaces in campum,properant gaudentes ad pugnam, non animi temeritate ſecuri,ſed virtutis auxilio ſupernæ cõfiſi,quaſi certi de victoriæ gloria gauiſuri : cuius ſi demum quæſitum brauium feliciter obtinebunt, non tamen ante potientur proſperis, quam aduerſis, ſed durabit in aſperitate certamen,lætaq;, tamquam non videnda, differentur. Eſtq; in loco,vbi tranquillitatem putant, ſæuæ perſecutionis oritura turbatio, ac ſi victoria deſperata, milites hoſtibus terga dediſſe credantur, quia alibi locus eſt illis aptioris repoſitus ſtationis. Sed iam vertatur ſtylus agonis præclari proceſſum ſtrenuè certãtiũ ſerie narraturus. Quod ſi magnum ſatis putant quidam futuris tradere ſcripto fortium geſta ſtrenua quidem apud ſæculares eorum placentes actibus delectari,quos in armis fortiter exercentes,glorioſi nomine,digniq; memoriæ prædicantur; quorum auctorem cruentæ ſtrages,nefandæ ſubuerſiones,crudeles depopulationes Regnorum,ceteraq;nefanda impietatis genera luce clarius manifeſtant. Numquid ego temeritatis arguar ſeruorum Chriſti longam, indefeſſamq; tolerantiam texere? Nec non aduerſorum frequentes impulſus,& contra diabolũ viriliter,cõtinueq; violenta certamina,quæ in opere ſanctæ domus longanimiter, ampla cordis fiducia tolerarunt. Vt nacta occaſione completæ fabricæ remiſſas hominum voluntates ad ſalutem veram leuiori labore quęrendam facilius prouocarent. Quorum auctorem ſicut nemo dubitat eſſe Dominum, ſic eius in ſuis ſeruis opera, non ſolum laude decet deuotæ venerationis attollere, verum etiam pro immenſitate tanti nominis non indignè congruit ad notitiam tranſmittere poſterorum.

rorum. Vt narrantes virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit, non obliuiscantur operum Dei,& mandata eius exquirant. Venientibus itaque Maniacium Reuerendi Pontificis comitatu conductis; reperti sunt ibi monachi cum Abbate, quorum religionis conuersatio deprehendi potest secundum statum dicti loci superius dictum. Sed quia vbi est dissonantia vitæ, quietem non patitur commorationis vnitas, vixq; fieri potest, ut cum incompositis moribus non hauriant detrimenta virtutes. Præmemoratus Pontifex prædictos monachos nomine, de monasterio diuellens adiecit, solum Abbati in suæ potestatis ordine remanenti duodecim nouos incolas secundum nouum hominem ambulantes, pro prædicti loci reformatione subiecit, quorum auxilio, consilio, directione, & cooperatione munitus disceret, quid esset agendum, quid reparandum, quid destruendum, quid dimittendum, quid've sumendum in fabrica morum, & in ruina vitiorum, in perfectione monasticæ professionis, & deiectione sæcularis amoris, ut sic reformata domo Dei, de multiplici nouorum filiorum acquisitione lætatus, cum eis pro labore transeunte præmium exspectaret æternum. Sed Abbas turbine mentis simulata, vultus serenitate suppressa, plangens veteres, nouos recepit inuitus. His itaq; peractis ad suam ecclesiam lætus remeauit Antistes, qui non longè post doluit gradus non attigisse medios, quod gaudens perduxisse putabat ad summum; non enim diu tacuit rabies venenosa Diaboli contra Christi milites per maleuolos homines aculeis inuidiæ ministrata. Nam monachi, qui proprijs culpis exigētibus, expulsi superius designantur, caussam iusti iudicij contumeliam reputantes, in vindictæ furorem animos nequiter acuerunt; & nequeuntes suis viribus, quorumdam potentium fauoris audacia conquisita, creberrimè monachis, & monasterio importunas mole_

Manuel Archiepisc.

Manuel Archiepisc. Bonamicus de Martino Abbas Maniacensis.

Manuel Archiepisc.

moleſtias inferebant, de quorum infeſtatione conqueſtu-rus, necnon fautorum temeritatem premendam impetraturus deliberato conſilio fratrum ad Illuſtriſſimũ Ducem Ioannem, tunc Siciliȩ pro Rege Ludouico nepote ſuo adhuc in annis puerilibus conſtituto magnanimiter principantem dictus Præpoſitus acceſſit. Cui vnus de monachis prædictis expulſis, qui principalius, & inſignius odij malitia præualebat, ſanguinem illius ſitiens, & in necem innocentis nocuus gladio crudelitatis exardens in nemore, quod Maſcalorum dicitur, cum altero ſuæ malitiæ complice inſidias præparauit. O pietas clementiæ Dei, quàm miſericorditer parcis iniquis, quàm iuſtos benignè conſeruas; illos ne malum præcipiti voluntate quæſitum compleant, reprimens, iſtos, quos ad commodum ſalutis multorum præparas, ne ab illis lædantur tuæ protectionis cuſtodia præmunitos oſtendis; dum infelices viam obſeruarent in nemore, ut tranſiturum occideret, miſit in eos Dominus utilem ſoporem, quibus dormientibus ad necem exſpectatus cum ſocio tranſiuit immunis. Quid facis, ò miſer, quare ſemitas non obſeruas? cur viatores non cernis tam longe ſpectatos? Ecce ſine pœna ſuper te pœnè tranſiuit, cuius mortē ſtimulis ſui fautoris impulſus, quaſi de longinquo veniens inſidians exſpectabas: vigilaſti diu-ius cum ſagittis, & arcu, & in huius momenti vigilantior ſomnus oculos tuos preſſit, vt iter tranſeuntium non videres, ſed reprimat ut grauior tua lumina ſopor, & pectus uum interioris inertia ſomni profundius reſoluatur, donec tranſeant ſerui Dei, ne in ipſis impie vindictam com-leas, quam impietatis deſiderio conceptam crudeli gla-lio moliris implere. Deniq; predicto Præpoſito cum ſocio Ianiaciũ cum ſalute regreſſo hoſtis antiquus, non adhuc xteriori bello contentus, propenſiori malitia ſeruis Dei ocere conatus caſtrenſi prælio ſæuius ſuperaddidit inteſtinum.

Io. Aragonius Dux Randaʒij Regis Frederici filius, Petri frater, Ludouici patru'.

Bonamicus de Martino Abbas Maniacensis. ſtinum. Nam ille ſimulator lętitię, qui & Bonus amicus vocatus, alienus ab illis, quibus dictum eſt: Iam non dicam ſeruos, ſed amicos. vix ſeptem menſibus lapſis prędictos Priorem, & fratres, ponderis regularis impatiens, à monaſterij clauſtris impudenter abegit. Chriſti verò milites non ſubacti depulſionis iniuria, nec contumelia laceſſiti, ſed velut ad arduum culmen honoris aſſumpti, & liberati de tyrannidis ſeruitute ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati, benedictionibus, & laudibus eum attollentes, cuius miſericordia de carcere ad patriam reuerti putabant, vbi veterem hominem exuerant, induentes ſe Dominum Ieſum Chriſtum; ſed non reſpondit, quod gaudium premeret, quod've cauſſas incurrerent inopinati doloris. *Abbas Sancti Nicolai de Arena. Manuel Archiepiſc.* Nam Abbas redeuntibus, petentibuſq; inter fratres vnitate recipi conſueta, reſpondit, eo inſcio, cuius ſe ſubiectioni ſummiſerant, nullatenus eis conſentiret ingreſſum. Quid facerent iſti, niſi voce lacrymoſa clamarent: Vt quid Deus repuliſti in finem, iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ? quales violentorum fluctuum undationibus impulſi portum intrãtes, non audent nauis tenacibus anchoris in eo recipere tutamentum, & expediat vela rurſum dubijs ictibus minantium committere procellarum, & leuãtes oculos fletùum effuſione madentes clamabant: Miſerere noſtri, miſerere noſtri, quoniam multum repleti ſumus deſpectione, omnem tamen ſpem fiducialiter figebant in Chriſto, qui ſperantes in ſe non ſinit viam deſperare ſalutis, cuius delectationis guſtu ſuauiter in amaritudinem dulcorari afflictarum mentium didicerant leuigare mœrorem. Præpoſitus uerò ipſe Fr. *Fr. Angelus Manuel Archiepiſc.* Angelus, cuius humeros cunctorum curę ſarcina deprimebat, iter laborioſæ viationis aſſumens ad Pontificem ſe contulit memoratum, narranſq; ſibi rei euẽtum, cauſſaſq;

ſui

sui aduentus humiliter reserata, ingressum primi Monasterij sibi, suisq; confratribus paterna dignatione concedendū, deuota supplicatione poposcit. His auditis, quid illum putas respondisse, nisi dolore cordis, & mentis amaritudine tabescentem contra iniquitatis filios ad Dominū proclamasse? Leua manus tuas in superbias eorum, quoniam malignatus est inimicus in sancto: eumdem verò Præpositum post benignam susceptionem, & pia fomenta charitatis indulta, concesso sibi cum benedictione recessu, dissimulatis ad petitionem pia fraude verbis dimisit in pace, scribens nihilominus ad Abbatem seorsum supplicatorijs precibus, ne eos decetero reciperet suę obedientiæ vinculo religandos, sed vsq; ad aduentum suum benignè tractaret, & caritatiuè teneret. Ostensis autem dictis fratribus litteris Archiepiscopi per Abbatē, qualem credis mentiū intrinsecus patefecit cum fletibus vox expressa dolorem? utpote quia nullius criminis deprehēsione notati, sed aliorum saluti profecturi tantarū compulsione precum semel pro caritate discesserant, & redeuntibus afflictis, Monasterij aditus claudebatur, quod culpabiliter deserentibus, iubet sanctę regulæ clementia reserari. Idem autem frater Angelus ad misericordię matrem, quam singulari deuotione prælegerat in patronam, talis lamentationis gemitu cordis, & mentis humilitate prostratus erupit in vocem. O Virgo virginū, inquit, quæ tristibus gaudia restauras amissa, & miseros in opportunitate consolaris, & adiuuas, o mœstorum solamen, & viantium ductrix, veni, lætifica cor mœrore tabescens, & huius mundi doloris laqueis compeditum, vt te dominam digne laudando plaudat tui solaminis præsidio de suis mœstitijs releuatum. Non enim obliuisceris misericors tuæ laudis, sed miseraris, benigna, positos tuos in agone deuotos, vt per te lucernam in huius mundi tenebris singulariter præsignitam ad æternæ vitæ

Abbas sancti Nicolai de Arena.

Fr. Angelus.

C refu-

refugium gaudeant properare securum. Te dulcem medelam peccatores, te dignam imperatricem cœlestium virtutum, vt mœrentia corda supplicum clementer lętifices, humiliter deprecamur. Corrobora, Domina, spiritum desidię morbo languentem, restauratione virtutum, post odorem vnguentorum tuorum nos benigne trahendo, ut per te stellam decoris ad tuæ prolis amplexum pernices, alacresq; curramus, & ab huius mundi felle purgati tua repleti dulcedine suauiter satiemur. Tu vulneratarum mentium vlceribus dulcis medicina, refrigerando medere suauitatis diuinæ medela, vt carnis labe mundati, te iuuãte, libere transeamus, inferni pœnas non sentientes amaras. Tu nostrũ gaudium in mœrore, tu nostra comes in exilio, tu pacem nostram fœdere superno confirmas, fac nos post præsentium tribulationum patientiam iucundos ad æterna filij tui Domini nostri gaudia feliciter peruenire. His, similibusq; precibus ab ipso Præposito, prædictisq; cõfratribus ad ipsam Domini matrem, ceterorumq; cætus sanctorum tota deuotione profusis, corũ intercessionibus, & auxilijs de diuinæ clementiæ protectione confisi quieuerunt salutaris consolationis refrigerio respirantes. Illud omni cordis intentione tenentes, quod scriptum est: Iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sũt corde, & anima nostra sustinet Dominum &c. Timentes autem reditum Monasterij Maniacij, non tam proprijs cedendo periculis, quàm quod illic incolatũ eorum nullis nouerant penitus profuturum, potiusq; diuina clementia taliter eos in angustijs differendo probante, ut dilatatis in certamine meritis, quos prouideret ad locum duceret destinatum. Conuocato itaq; sanctę Trinitatis auxilio soliti vexilli signaculum in cordis instipite præfigentes versus vrbem Messanam fortes Christi milites carpunt iter, magnanimiter properantes, quærẽdo cum Abraham, & Dauid, confractis Assyrijs, & Amalechi

Maniaciũ.

Messana.

tis

tis alicuius recuperationis prædæ liberare captiuos, & amaros animo, alienoq; ære suis cuneis adunare depressos, exiguaq; castra nouorum acquisitione multiplicare tyronum. Quod iter directum profecto videbatur à Domino, nisi quod hos pugiles nō Messanæ, sed Panhormi decreuerat deputandos excubijs, forte illic alios futuros elegerat, sua prouidētia, congruo tempore statuēdos. Applicantes igitur Messanā, quattuor ibi strenuos animi nobilitate iuuenes, laudabili vitæ testimonio memorādos, nō ex illius genere, de quo legitur in Euangelio, quod ad vocem Domini sibi dicētis: vade, & vēde &c. tristis abscessit, sed æmulatores eorum, qui legūtur, quod venditis omnibus, ponebant pretia ad pedes Apostolorum. Hi siquidem iuuenes, non tristes, sed læti audientes Dominum commonentem: Vendite quæ possidetis, numero eorum cupientes apponi, quibus dictum est: Vos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me &c. omnia sua, larga cordis munificentia, vultusq; serenitate vendere, pretiaq; ad pedes venientium de nouo fratrum pro noui constructione Monasterij Ananiæ penitus, & Saphiræ dolositate carentes apponere comprobabant. In quo quidem Monasterio semetipsos militaturos Christo Domino, non inani verborum iactātia, sanctę obedientiæ vinculis nectere lętabantur, sęculi vanitate contēpta, sed cor hominis disponit viam suam, Domini autem est dirigere gressus eius, aliter quidem dispositum est ab illo, qui nouit omnia, nouissima, & antiqua. Nam cum hæc opere tractarentur implenda, atque ventum fuisset ad concessionem fabricæ monasterij per illius vrbis præsulis priuilegium confirmatum, restito quod domini stabiliret auctoritas, quę scripto concessa ministri, bulla pendula signabatur. Veniens Obertus germanus frater dicti domini Mōtisregalis, prudens quidem miles sæcularis, & in legalibus disciplinis congruenter edoctus, milites ad suum du-

Messana.

Fr. Raimūd. Archiepisc. Messanēsis. Obertus Spinula frater Archiepisc. Montisreg.

Manuel Archiepiscopus cem reducendos accepit, quos inclytus Præsul sæpefatus longi desiderij affectione quæsitos non sine magna sui iactura dispēdij perdere reputabat, quorum've fuerat acquisitione vehementer desiderata gauisus, dolens de celeri

Mōsregalis. amissione timebat. Venerunt denique ad Montemregalem sex in principio monachi nominati, reliquorum verò tres in agone legitime decertando transierunt ad Christū, usq; ad finem fraterna charitate retenta, reliqui vero tres longi laboris tædio affecti venire cum suis fratribus resugerunt. Quorum sex numerus perfectione decorum opus capiendum ad congrui finem culminis perducendum præsignasse poteſt non incongrue iudicari. Nec hic solitus hostis à solita malignitate quieuit, milites ad noua castra venientes concutere noua calliditate conatus est, coniectās, ut arbitror, eos aduersus se nouas acies præparare, venisse suorum pretiositate spoliorum conserto prælio diripere cupientes. Præcauens igitur detrimenta futura, furens ad arma ruit, priuare principe meditatur incautos, vt ductoris ruina conterriti milites facilius terga darent fugę dedeco

Bonamicus de Martino Abbas Maniacij. re denotati. Diebus etenim illis ille bonus amicus Abbas Maniacij ad Montemregalem à Pręsule conuentus aduenerat, qui culpa probata conuictus, decreto sententię cecidit à dignitatis honore depositus. Quod contumeliam reputans, impatientis animi stimulos in furorem exasperās,

Fr. Angelus in caput prædicti fratris Angeli stultę mucronem exacuit vltionis. Nā vecorditer depositionis aduersitate subactus Panhormum petijt, vbi tunc pręerat quidam à Rege, sicut

Rolandus Aragonius filius spurius Frederici Regis. Abimelech à Gedeone natus est, cui tunc adherens hic bonus amicus promisit sibi reditus dignitatis Abbatiæ, si desideratam vindictam in suspectum æmulum crudeli nece

Bonamicus de Martino Abbas Maniacij. compleret. Quid plura? ille credens, & assentiens non iudicum consulens examen, spernēsq; iurium perscrutari decreta, nec crediti sibi moderaminis tantę vrbis honestatis

arduo

arduo rigore, seruandam reuerentiam attendens, si mona chum legi regulę subditum fas erat incendentibus diris fa cibus ęmuli sui gladij subiacere vindictę. Solus appetitus promissi commodi tale facinus sibi licere consuluit,& impegit abscondere satellites in via, vt illac transiturum de præsentis vitę vsibus excluderet interitu dirę mortis, quatenus ille placatus de vindicta gauderet, ipse verò promissis redditibus pacifice potiretur à Christi pauperibus in suæ curiæ inopes transferendis pro tantę sibi mercedis iure quæsitis. Sed nec sic obsuit hostis noster, nec opus Dei valuit impedire malignus. Nam exspectatus ad cædem insidiatoribus ignoranter cedens, aliàs deflectens iter Panhormum transiuit illæsus. O quis non putet hunc à tantis periculis superna custodia vallante seruatum? Quis dubitet diuinitus contigisse solitum relinquere callem, ut latrones euaderet pro effusione illius sanguinis illic iniquitatis studio præparatos? O cæca cupiditatis rabies, ò vorago rapacitatis cuncta deglutiens, ò sitis insatiabilis auarorum, quæ vobis fraus, non fides est? quod scelus non licet? quod turpe non delectat? vt solius quæstus desideria compleantur? & fas atque nefas vnitate iunguntur, vtileq; præfertur honesto, cum occurrit opus facile coaptare lucrandi. Pro nefas, voracitate vincimus Lupos, violentia Leones superamus, calliditate Vulpes excedimus, & Tygres crudelitate transgredimur, cupientes renouatam semper pecuniæ famem, hiatu inexplebili laborantem omni quo possumus rapiendi genere satiari: Nam fides perfidia, pietas execratio, caritas anathema decernitur, cum in nostri lucri qualicunque stipendio hęc tantum vocabulo nominantur. Quid frustra, stulte, quid frustra, pro vnius placatione furoris dies præcidere conaris insontis superni regiminis clementia pro tanta commoditate longe post diutius protrahendos? Non trucidan-

tium

tium gladijs Dominus derelinquet, cuius ab eo vita pro cœlestis regni iustitia multorum mores spiritualis disciplinæ directione doctura seruatur. O impietatem, si in viridi ligno hoc agitur, quid in arido fiet? si pauperis, & innocui monachi pro cupiditate lucri mors quæritur? quale putas in hostem locupletem, & infestum vltionis iugulum expetetur? si pro quæstu spiritualium iurium sic cæcè quæritur, vt homicidium perpetretur, quid agi crederes pro pecunia mercatorum? Qui nec sic quiescens, prædictos fratres ab opera sancti Martini ne fieret, quanta potuit à primis laboribus violentia præpediuit, quippe quia feudum, quod est ipsius monasterij, in quo & fundatū est, graue sibi detrimentum de sui iure diripi dominij reputabat. Et in his hostilis inuidia confusa subiacuit, nec valuit quod voluit, nec obtinuit quod optauit, sed quod sibi timebat euenit. Incidit enim in foueam, quam fecit.
Rolandus Aragonius. Nam hic, quem tam violentum persequutorem in seruos Christi suæ persuasione malignitatis accenderat, per infirmitatem correptus à Domino cecidit in lectulum, & ò admiranda Dei virtus, putans se mortis iaculo feriendum, humiliatus est; immo tanta contritione compunctionis affectus, vt quoquo verecundiæ rubore despecto, à prædi-
Fr. Angelus cto Fratre Angelo Præposito iam dicti monasterij veniam lamentabili mœrore poposcit, quam postea salutis integritati redditus per operum euidentiā comprobauit, nam de Saule factus est Ionathas, & de Saulo Paulus, quos ante persequebatur, inde piè supra ceteros omni consilio, & fauore iuuabat, & doluit iniquitatis magister tantum perdidisse ministrum, quem etiam contra faciem suam arcum, & pharetram conuertisse stupebat. Ecce mutatio dexteræ excelsi, ecce potentia, quæ conturbat pro-
Fr. Angelus Montisregalis. fundum maris. Prædictus vero Fr. Angelus ad Montem Regalem cum pace rediuit ad fratres, quibus illic degen-

tibus

tibus,& cupientibus locum ab hominum frequentia sepa ratum, ubi non reciperent damnum sui voti, & virtutum gauderent profectu. Volebat enim benignus Præsul eos in maiori ecclesia Montis Regalis stabiliter collocare, cupiens illam pereũtis ex ea monasticæ disciplinæ cultu per eosdem congruo reparare rigore. Sed illi omnino renue runt propter inevitabiles,& frequentes accessus, occasione sollemnitatum ad eamdem ecclesiam multitudinis populi concurrentis, maxime quia ciues Panhormi vtriusq; sexus, & omnis ætatis extra præcipuas sollemnitates fere quotidie sub velamine indulgentiarum, non sine cultus exterioris ambitione, ludis, conuiuijs, commessationibus honestati, & moderantiæ penitus aduersantibus cõuenire videbãt, eratq; propterea familiaribus incolis assiduè frequẽtata. Et quis cupiẽtiũ vacare Deo poterat tantorũ strepituũ clamoribus,& spectaculorum ineptudinibus non vexari? quæ monachis expedit non solum, ut mortifera venena vitare, verum etiam clausis oculis,& obturatis auribus celeriter pertransire. Sed & monachis illic degẽtibus istorum conuersatio non solum ad coutendum fastidiosa, sed odiosa visui, non sine detractionis viru, & inuidiæ facibus ferebatur, vtpotè quia delitię dapum grossiores cibos, pretiositas vestium operimenta vilia, libertas accessus vinculum claustrale, derisionis ineptia detestantur. Ad ipsorum enim ingressus primi conspectum mirantes manifesta derisione dixerunt: Signa nostra non vidimus, hæc autem dicentes veritatem confessi sunt. Non enim isti milites eorũ signis suam militiã proferebant, quia alterius generis sũt, istos quidem auro in fornace probato, illos verò mollitiei plumbi comparat regula monachorum. Isti sub ducis disciplina contra diabolum,& vitia pugnare condiscunt, illi sine gubernatore viuere cõtenti in proprijs laribus suas volũtates, & aduenientia desideria perficere delectantur.

Manuel Archiepisc. Ecclesia Mõtisregalis.

Isti

tum, quem cũctorum creator, & auctor operis tanti prælẽgit auctorem, cuius cor diuini zeli fortitudine in audaciã magnanimiter eleuatum infestis communis hostis insultibus vallum opposuit strenuę militiæ munimine stabilitũ. Quare fratres ad tanti ducis laudes os clauditis? cur labra non aperitis ad commendandam benigni Pastoris vigilem diligentiam supra gregem? Non hebeat calamus, oratio non hebeat ad eius transmittendam vestris successoribus notionẽ, ut & illi collata beneficia similiter non ignorent, non enim ingratitudinis arguemini, si vos illi cognoueritis debitores, sed forte quærit, unde? qua gratia? quo munere? quibus've sibi meritis obligamur? Rogo quid vobis vestri secundum carnem parentes contulerint, respõdete, originem traxistis ex illis, unde ad vitæ præsentis usus aditus aperitur, quid insuper? studuerunt, infantiam lactare, pueritiã custodire, adolescentiã quãdoq; honestis moribus secundũ sęculũ informare, ut taliter educatos ad robustam vos educentes ætatẽ gauderent, se quidẽ vestræ visionis solatio non incõmode consolantes, & illos certè hoc natura perdocuit, quæ si neglexissẽt, crudelitatis arguti naturalis, diuinæ q; iustitiæ rei substitissent utiq; periculo iudicij puniendi. Si qua tamen alia vobis ab illis commoda collata iactatis, ad mundanos vos potius studuerũt superbos fauores erigere, quam ad cultus Christi humilem dirigere disciplinam, sed & nunc spiritualia carnalibus, diuitias sæculi commodis monasterij, dubios mundi euentus, & inquietos præsentis vitæ cursus, securitati claustrali, quietique cellulæ iusti libraminis consideratione conferte, sicq; veritate talis comparationis examine comperta, perpendite, cui plus debeatis, an qui vobis ignotis mansionem honestam Deo vacaturis pro vitæ semper mansuræ præmijs præparauit in eremo, an parentibus magna donantibus, vel parua, vt sæculi pompis, & perituræ mox gloriæ, non

Manuel Archiepiscopus

fine malarũ concupiſcentiarum laqueis creatori diſplicentes, inaniter ſeruiretis? Nec hoc dico, quod non debeant nati parentes ſuos tota reuerentia, omnique veneratione tractare, ſed audio clamantem Dominum: Qui amat patrem,& matrem pluſquàm me,nõ eſt me dignus,&S. Apoſtolum: Si patres carnis habuimus, & reuerebamur eos; quanto magis patrem ſpirituum, & viuemus? vnde commendetis eum exquiritis? Si clientuli, & ſatellites laude præferunt eos, qui turres in arcto viarum ad directionẽ tranſeuntium,qui arces,vel pręſidia in altitudine rupium, qui munitiones in planis turrium celſitudine circumuallatas, profundiq; valli gyro circundatas conſtruunt, quorum concluſione ſecuri ingruentibus bellis tutius defendantur ab hoſtibus, vel offendant, ſeu quouſque miſeros opprimant ſine contradictione ſubiectos, & ad libitũ emiſſa mandata, veluti legitimæ ſanctiones, ſubmiſſo capite compleantur, ac prędam,carceres, plagas,ſupplicia, morteſq; minantes pronos inueniãt ictibus colla ſubdere trucidantium, & aggaudeant fauoribus populi,vel laudibus eis blandiantur adſtantes, & linguæ veſtræ faucibus adhærebunt à laudibus hominis, qui præſidium vobis cõtra callidas artes impugnationum, occultaſq; tentationum fraudes crudelis hoſtis tanto ſalutis zelo,tanto ſtudio pietatis, tanta difficultate laboris erigere deſudauit, ut in eius munitione concluſi,& fructu iuſtitiæ creſcatis in Dominum,& de virtutibus in virtutes euntes videatis Deum Deorum in Syon. Laudent ergo illi ſi volunt ſuos in foro ſuo,vos autem in choro benedictionis laudate veſtrum in Domino, cuius aſpirationis auxilio domũ exſtruxiſtis, in qua vobis vitæ corporeę frugalitatis cõmoda non deſunt, & animæ virtutũ exercitijs,Domino Ieſu cooperante,proficiunt ad accipiendum gloriæ brauium cum fiducia properantes. Laudate illius conſtantiam rectitudinis, iuſtitiæ

Manuel Archiepiſcopus

cultum,

cultum, pietatis amorem, paternam dilectionem in Christi seruos, erga patientes compassionis affectum, benignam largitatem in subsidium egenorum, cultus ecclesiastici sedulitatem, pro quibus retributionem sibi æternam repensari nō est ullatenus diffidendū. Sed hęc omnia in sola prædicti monasterij constitutione completa, necnon defensionum fauores, & auxiliorum præsidia contra violentos, & aduersantes totius virtutis conatibus pro Christi zelo, quorum precipuus superius memoratur, opposita, & apposita, meruisse sibi quis dubitat domum non manu factam, sed æternam in cœlis? Quid enim deuotius hominibus, acceptiusq; Deo, quàm monasteria condere, ubi vocatio illa dominica perfici creditur pręlata cæteris cōsilijs, & mandatis, qua perfectio promittitur, quę dignius merebitur promittente, quam æmulantes, qui fidei feruore Christi cupiunt parere mandatis, relictis retibus, & naui, parentum contemptis affectibus, mundi gloria calcata in illis Deo adhæreant cum humilitatis subiectione, spōte semetipsos per obedientiæ vota mactantes, Christi paupertate cōtenti, non deficientes ab operibus, quibus ipse suos in iudicio Dominus commendabit electos ad possessionem eos inuitantis hæreditatis ęternę. Tempus erat, quo brumali glacie rigentibus campis gelidus Boreas effusis niuibus montana perfuderat, & turbidi flatibus Austri perfundentibus terræ pluuias educti torrentes in pręcipites impetus excitabant. lapsus turbidos fluuiorum, herbisq; præmortuis decore comarum, floreoq; nitore carentibus, nullorum obtutus prata viantium amænitatis illecebra demulcebant, sola iam Amygdalus inter arbores ornatu festiua festina ceteris torpentibus, flores educere maturabat, decursis annis incarnationis dominicæ mille trecentis quadraginta quinque, sexies septem dies adhuc de sequenti restiterant effluxuri, tertia decima dies tunc aderat mensis Ianuarij, 1345.

qua solemnitatis Epiphaniæ sacrę celebratur octaua anni
1347. quintędecimę Indictionis iam egressionis primę à monasterio S. Nicolai post longam patiētiam pressurarum transacto triennio, cum pauperes Christi pauperem locum cul
Manuel Archiepiscopus turi in nomine Domini dicto Pontifice comitāte venerūt, quibus quinq; Præsul ipse prędictum Fratrem Angelum ceteris digniorem prętecit ipsis annuentibus in Prioré, & per annos ferè .... dictus locus tentus, & gubernatus est ab ipso sub officio Prioratus, donec per summi Pontificis permissionem, mandatum, & autoritatem monasterium ipsum in Abbatiæ dignitatem, Priorq; prętatus
Manuel Archiepiscopus in Abbatis honorem per prædictum Archiepiscopum est promotus. Cuius officinarum vestigia iacentia laxis muris ruinę veteres portendebant, sola Ecclesia, duęq; domunculę tegminis honore carentes vix parietibus integris cingebantur, quas armenta Vaccarum, non hominum frequētia deuota calcabāt. Erat enim, quod sine gemitu dicendū non est, in loco altaris tugurium, quo lac coagulatum in caseum comprimitur in fiscellis. Non ibi vites, non ficus, vel alicuius arbusculæ domitæ solatium inuenerunt, sed circumadiacens tellus erat, quam pedes non triuerant pecorum, densis vmbrata fructetis, & posita erat speciosa in solitudine &c. Quid igitur facient isti? hyemis præeminebat asperitas, locus frigorum importunitatibus expositus, infestis ventorum turbinibus impugnatus, frequentibus pruinis aspersus, glacieq; sæua rigens carebāt opportunitate tectorum. Coloni noui, pauci, & pauperes, & ignoti quidfacient? Immensum opus ad capiendum laboris vires impares minabatur. O milites Christi legitimi nolite trepidare, nolite ambigere, sumite vires, componite mentes ad magnum virtutis opus, summosq; labores, est qui adiuuat vos, ille pro quo pugnatis, sperate in eo, & statim videbitis auxilium eius super vos, confortamini, nolite frangi

pusilla-

pusillanimitatis ignauia:si nouitas incolatus vos terret, nouus Abrahã exiuit in terra Chanaam, & inter habitatores illos à Domino factus est sublimiter gloriosus, si paucitas, si paupertas, recolite sacratissimum militiæ vestræ principem, atque ducem, solum egressum, & inopem de spelũca, & duodecim potest cœnobia prȩclari nominis condidisse; posse si vos mouet ignotio, & à quibus beatissimus Maurus sui præceptoris optimus ȩmulator cum quattuor confratibus destinatus ad Gallias, noscebatur? nec vos latet, quales eis Dominus præstiterit in peregrinatione successus. Extendite iam manus ad opus intrepidi, non enim deerit vobis pater ille, cuius domum reparaturi, & emundaturi venistis. Non terreat vos assiduitas cõtinuanda laborum, quia audistis vos dulciter confortantem: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos, & Apostolum eius vos salubriter adhortãtem: Fratres, inquit, mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini, scientes, quia labor vester non est inanis in Domino. Omnis igitur formidinis, & titubationis deposita segnitie, quia perfecta caritas foras eijcit timorẽ, inconcussa fide noscentes eis nullatenus illius adiutorium defecturum, pro cuius amplificatione cultus, tantos labores sine retributionis dubio apprehendere festinabant, sine quo cum affluente censu temere præsumitur, cuiuslibet fabricȩ fundamentum: Nisi enim dominus ædificauerit domũ &c. Eius itaq; nomine in operis inchoatione præposita, benedictione præfati Pontificis comitante, securi manus porrigunt ad sanctum opus cum gaudio desiderati laboris. A mane igitur usque ad vesperam desudantes, lætius olera contẽtabant, quam plurimos tota die ociose vacantes Vitulus saginatus, quos ante tres menses proximò lapsos in eodem loco diurni laboris opere cõpleto, post cuiuslibet diei vesperam ad Montemregalem quiescendi necessitas reme-

Manuel Archiepiscopus

Monsregalis.

remeare cogebat, quibus quædam turres ipsius Ecclesiæ cœnaculum erant, & hospitium ab aliorum conuentibus separatis, præmemorata dies vero prima fuit, qua ab exactione dicti quotidiani reditus liberati, factis in eodẽ monasterio aliquibus tugurijs iuxta sufficientiam paupertatis eorum stabiliter inibi omni deinceps tempore quieuerunt læti, ruinas, quas poterant manu sollicita reparantes. Ecce labor vtilis multorum inediam profluis fructibus refecturus, & pij sollicitudo sudoris plurimorum inertię curatura languorem. Ecce diligentium cura vigilum, somnũ excussura pigrorum. Isti sunt apes argumentosæ non sibi solis mella condentes, non istos Salomon mittit ad consideranda studia formicarũ, utpote quia spreto frigore operantur in hyeme, ne in ęstate sine spe præbitionis mendicare cogantur. Istorũ quidem messis, ut fons erit, & longè fugiet egestas ab eis, operãtur enim manibus suis die, ac nocte, ut sibi, & alijs ministrent. Hos etenim beatificat Dominus, qui pręcingentes lumbos suos, & lucernas ardentes in manibus tenentes exspectant Dominum. Hi cum Iosue de nocte consurgunt ad Iordanis alueum transuadandum cõtra Iericho, & Hay, & cęteras expugnandas gentium nationes, ut victores non terram, sed cœlum possideãt sine fine. Videant, videant dissolutæ manus quòd pigredo immittit soporem. Caueat piger, qui abscõdit manus suas sub axilla, nec pigeat necessarios saltem cibos manuũ labore perquirere: caueat ne veniat ei, ut cursor egestas, & mendicitas, ut vir armatus. Attendat, & paueat, quàm sit grauis egestas, quã despicabilis inopia, quàm verecũdosa mendicitas: attendat Dominum non pigros, & vacuos, sed laborantes, & oneratos ad refectionem vocantem, & in sancto Euangelio non sine labore merces datur, licet legãtur usque ad vesperam ociosè stantes, non tamen de ocio mercedem, sed de operationis tempore receperũt, non enim dixit

xit pater familias procuratori: Voca otiosos, sed operarios, & da illis mercedem. Dominus etiam beatitudinem promittit seruis, quos vigilantes inuenerit, siue in prima, siue in secunda, siue in tertia vigilia venerit, & sedulus, ac fidelis operarius super cuncta bona Domini cõstituitur, ad ipsius prius gaudium inuitatus, negligens verò, & pauidus de abscõsione talenti damnatur. Egregijs igitur operarijs operis cæpti ministerium prosequentibus tanta Deus eos fiducia roborauerat, ut tota die fatigatæ manus vix post occasum lassitudinem sentientes, illucescente diluculo, renouato virium robore ad opus libentiori desiderio recurrebant, tãto gaudio, tantaq; pace, ac sine alicuius murmurationis turbine, ut non crederent fatigatione confici, sed quiete manentes delitijs regularibus saginari. Non dorsa sarcinis diuertentes, scapulas oneribus macerabãt, manus verò non solum cophinis, sed securium, malleorum, & lignorum ponderibus cõtinuis ictuum elationibus ad ligna cædenda, scindendos lapides, effodiendam humum, & extirpanda fructeta seruire cogebant. Sola nox quies erat diurna fatigatione lassatis, vsque ad horam dumtaxat, quę monachos ad diuini operis solutionem consueuit signi pulsatione citare, lętabantur quidem fessis artubus solatiũ non indulgere quietis, corpusq; iugis laboris contritioni subijcere, ut fieret multis profutura lassitudo paucorum, quid enim eis expediret sibi solis tantorum laborum agonibus macerari? quos paucis, minimisq; contentos dilectio Christi paupertatis suauitate ditabat? nisi pro eiusdem fidei feruore animarum salutem zelantes, quod quidem acceptissimum Deo sacrificiũ est, parcere sibimet ipsis à quotidiani laboris contritione spernebant, ut volentibus secũ Christi seruitio mãcipari, aptioris mansionis habilitas traderetur. Sed deficiẽte aqua magno opere opus fuit, & crebra profluentium madefactione sudorum fatigatis lacertis

aquam traherē ad locum de supereminentis montis sinu. Ita quod eodem emergēti anno, in die videlicet sollemni-
1347. tatis sanctiMartini, aquam in Ecclesiam induxerunt, fluminis impetus deuota lætitia concinentes. Ecce primus ingressus, primusq; processus ad restaurationem, magisq; ad nouam ædificationem monasterij prælibati. Ecce quales ad construendum portauere diuitias, atque census. Sed quia scriptum est: Primum quęrite regnum Dei, & hæc omnia, idest corporis necessaria, adijcientur vobis, fidelis Dominus, cuius promissio fiducialiter in se sperantibus non deficit, sed abūdat, miseratus graues labores eorum, quos nouit, non tam proprijs, quàm aliorum salutis commodis consulentes, operarijs suis de auxilij opportunitate tempore opportuno prouidit, quos sācta domus celeri erectione consurgens ad culmen perfectionis facilius eueniret. Nam descēdens dictus Prior cū vno fratrum pro comparatione quarundam rerum utensilium, quas domus necessitas exigebat, interroganti cuidam viro prouidæ probitatis, no-
Salernus. mine, Salerno, unde, & ad quod venerant, aperuit paucis verbis, & inuitatis ad prandium ipsius, inter refectionem honestatis, & serenitatis amicam intulit Salernus hæc verba. Gratias, inquit, agite, fratres, mecum Domino Saluatori, quia & ego reperi, quod quæsiui, vos autem, quod optastis, habete; igitur securi iam cæpta peragite, quia dabitur vobis, unde inchoati operis celeriori, quàm sperabatis, cōsummatione gaudebitis; læti laborate, repositus est enim pro vobis census, quem mihi Dominus commendauit in hoc opere dispensandum; fortiter operamini, quia placitū est mihi, atque promptum, quæ reposui, distribuere læta fronte, quod enim desiderio desideraui præcipuo, gaudeo mihi datum à clemētia bonorum omnium largitoris. Narrantibus igitur istis alijs in monasterio fratribus, quę prouenerant, Domino simul gratiarum actiones cum lætitia

retulerunt,hoc ex ipsius misericordiæ largitate prouenisse sine dubio reputantes,quæ quidem absque ipsorum mendicitatis rubore, sine verecundiæ detrimento, sine fucata simulatione verborum, quæ quandoque solet in his necessitatibus à patientibus intromitti,quinimmo ipsis penitus ignorantibus,nec querentibus, obtulit iucundè solius efferentis affectus, illi verò cuius cor tetigerat tanto salubri desiderio iam Monachis,&Monasterij patri quid inde fecerit,superfluum puto particulari narratione deferre, cum ita non dicam larga, sed prodiga se manu laxauerit, vt exhausta pecunijs arca,domoq; rebus,ad ædificationem, & usus necessarios Monasterij,& fratrum omnia sine ignauia hæsitationis expendit. Feudum etiam Bonægratiæ à dictis tunc Priore, & fratribus pro prædicto Monasterio emptum de sua pecunia venditoribus satisfecit.Quid plura? condito sibi quodam tuguriolo iuxtà fratrum habitacula delectabatur degere cum monachis cupiens carere strepitu sæculari. Dicite uos, dicite, qui aeris libertatem occupantes,domos in altum productas laquearibus,& tabulatis uariata pulchritudine picturarum conseritis, fenestras marmoreis columnis,cœlatis arcubus laudabili artificum ingenio pre frontibus componentes,ut admirantes delectet oculos famulos uanitatis, ad quarum interiorem cultum nec maris, terræque propinqua sufficerent, sed ab ignoti mũdi terminis queritis spolia pretiosa,quid istoam plius possidetis? nisi quod celebriora palatia rariori uidentur custode retenta; census autem, & supellectilia, quæ non diuidit hostis in prædã,effundit maximè filius in platea,sed ne pluribus immorer uerbis, in fine testamenta conditis,legantes quæ transmitti non possunt, quæ si possent, nullatenus legaretis, quod probat reddita sospitas, denegans erogare legata, nec transit sine dolore testator superstite filiorum probitate patrimonio successura. Quid

Feudum Bonagratiæ.

E de il-

de illis? quorum irrationabilem prodigalitatem pater, nec terrore minarum, nec blanditijs amoris compescere uales luctuoso dolore conficitur, & quæsita filijs insipiēter effun dētibus, longos in acquisitione labores deplorat amissos; non sic iste, non sic, sed non confidens in incerto diuitiarum, pro Christo non timuit lætam capere paupertatem, faciens sibi amicos de mãmona iniquitatis, ut reciperent eum in æterna tabernacula, timens illam uocem diuitibus de consolatione recepta in hoc sæculo comminantis, & alterius: Diuites eguerunt, & esurierunt. & aliam: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes, illiusq́ue societati coniungi præcauens sapienter, qui refrigeriũ linguæ suæ petijt de digito pauperis in sinu Abrahæ quiescentis. Hic enim Salernus diuitiarum restantibus adhuc sibi huius uitę diebus inuentus est prouidus, & laudabilis distributor, ne post eius transitum pro sua pecunia pacifici discordarent, quam ad ędificationem, & necessitatem prædicti monasterij, memoratum est superius expendisse tanta libentis animi largitate, quãta cor eius caritate fuisse succensum minime dubitatur, quantaq; sensus interioris hominis intentione perceperat: Hilarem datorem diligit Deus. Re uera hic qui sibi iuxta Domini præceptum thesaurizauit thesauros in cœlo, nec effossionem furum, nec demolitionem metuit tinearum, ne in hac uita seruato męstitiam cordis relinqueret cum thesauro. Quis uero quantum uos iste dilexit, o Monachi, ualeat enarrare? nũquid pecunias, & substantias suas non aliter potuit sine reprehensione largiri? potuit utiq; laudabiliter; laudabilius utiq; nescio quo modo, non enim deerant ubiq; hospitalia, carceres, indigentes, infirmi, pauperes, inopes, mendici, orphani, quorum pro Christo subuentio uitam adquirit æternam, sed diligens Monachos ad fabricã sancti cœnobij maluit cuncta lęta largitate donare, ubi & illa in-

Salernus.

la indubitanter impleuit, & quotidie, cooperante Domino, miniſtrãtur, ſed certum eſt hoc à ſummi boni clementia præſtitum, cũ illi res ſuas licuiſſet alibi per opera miſericordiæ miniſtrare, tenuit uero, ut dictum monaſterium tanto iuuamine maturiori celeritate conſurgeret ad perfectum. Præfertur a Domino uetula duobus minutis bona uoluntate prolatis, laudatur & in ueteribus illorum largitas, qui pro compoſitione tabernaculi aurum, argentum, gemmas, æs, ceteraq; de ſuis diuitijs alacriter obtulerunt, iſtum autem quis niſi felicem dixerit, & beatum? qui nullius precibus, aut ſuaſione premonitus, nullius turbatus uiolentia, ſed tantũ ſupernæ gratiæ inſpiratione, deſiderioq; ſalutis æterne flammatus, ut audiuit cauſſam, ſine alicuius heſitationis ignauia, prompta liberalitate protulit, & contulit, ſeq;, ſuaq;, nõ enim hic diuitias male congeſſit, quas uoluit benignitas Saluatoris in ouili ſuarum ouium proprij diſtribui manibus congeſtoris: ueritatem dico, quia laudes huius uiri ſine timore reprehenſionis cõtexere longo ſermone delector: ſcio enim diuites ſplendida conuiuia preparantes potentum hoſpites, nugacibus, hiſtrionibuſq; ueſtes precioſas largientes, & effundentes pecunias in miſeras uanitates popularibus auris inaniter attolli munificentia largitatis, quos auerſis oculis à timore Domini delectat, & paſcit contremens, & pauida obedientia populorum, purpura, byſſoque ueſtiti, epulantur quotidie ſplendidè, faſtiditis, & ſpretis ante ianuas mendicantibus, qui ueloces pedes poſſident ad inanes congregationes, & theatra uanitatum, ſed ad uiſitandum ſacra limina, & opera exercenda, que miſericordia, & caritas exigunt, claudicantes. Quid ergo hunc, qui cum diuitibus diues uideri uolens, pro ſubleuatione tanti operis, que habuit, tradidit uniuerſa, dignum laudibus non adſcribam? Sed quia ſua opera ſibi ſunt præconia laudum, ſuf

ficiāt prædicta iam ad notitiā futurorū,ut sciant quos, qua lesq; dictū monasteriū in suæ reædificationis initio præcipuos habuerit adiutores.Hic aūt post .... annū vita inter monachos iam bonis operibus consummata, laudabilisq; senectę cōsumptis diebus inter fratrū manus feliciter emigrauit ad Christum, in cuius conspectu ipsum æternorum bonorum felici iucunditate perfrui quis dubitet? quę sibi de caducis, ac defluentibus rebus prudenti prouisione, fideliq; commercio vindicare curauit. Hunc piè planxerūt Monachi,quibus spirituali affectione nutritis,sicut viuens facultatibus munifica magnanimitate diffusis pro cœlestis patriæ quæstu condidit hanc mansionem, sic eam glebæ corporis sui propriam domum,tanquam vnus ex fratribus in qua quiesceret vsq; in diem resurrectionis elegit: sepultus itaq; est ab eis in angulo interioris claustri, qui dormitorio coniungit ecclesiam, cuius epithaphium hoc est.

Hoc tumulo lector contectum scito Salernum,
Qui gessit Monachis affectum nempè paternum;
Parcus ad hanc fabricam non venit, fundere totum
Censum quem tenuit, cuius uis noscere votum.

Erubescat igitur auarorum infelicitas, qui derisa spe futurorum bonorum dira cordis pertinacia crudeles proximis, & semetipsis, homicidæ crudeliores effecti contra Domini præceptum pecunijs in saccis veterascentibus conditis famulantur, quibus demum necessario derelictis,morte rapiente depereunt in æternum, nec erubuerunt delectatione pecuniæ creatoris amore despecto Idolorum immunditijs turpiter deseruire. Diuidunt filij, vel nepotes male quæsita, plerumq; suspecti,vel æmuli,quandoq; prædones. Dolent,& plangunt in inferno miserij qui cæca cupidine rapti aurum sitientes ignei potus refrigerio ministrantur,lętantibus illis,atq; ludentibus, qui suę libito voluntatis malo quæstu condita, deteriori dispersione

 disper-

disperdunt. Quid quæso prosunt diuitiæ mortuis? quas, si dicam viuentibus obesse, non mentior, nisi sāctorum vestigijs inhērentes, eas, sicut illi, vilipendendo tractemus, quorum iste Salernus bonus æmulator potest non incongruè dignæ laudis præconiō prēdicari. Sed tu qui solus cum cōiuge diuitiarum affluentiæ luxu dilataris sine solatio, moriturus heredis, qui sericorum spoliorum ambitioni, auri, argentiq; ponderi, & gemmarum pretiositati terminum non imponis, cui pecunia per negociatores prēsentes multiplicis lucri collectione congesta non sufficit, nec tuis clauibus custodita securum te viuere sinit, sed ut sine termini limite crescat, eam per exterarum ciuitatum mercatores expandis, firmiori forte spei baculo innisus absenti, qui tuæ possessioni vineas, domos, agros subiūgere nulla dilatatione contentus, nouæ semper auiditatis anxietate distenderis. Et seruorum tuorum humanitatis oblitus, eos nuditatis verecundia deturpare, famisq; inedia, verberumq; cruciatibus affligere delectaris. Cuius gloriam quibuscumq; diuitijs splēdentibus, magnificentiaq; præclaris sæculi prēsentis contra interdictum Domini apposita conuiuia dilatant affluentibus delitijs ornata. Iube quæso tuē pecuniē, ut te sanum reddat, cum pedum dolore, aut æstuantium febrium ardore oppressus pauidam domum clamoso mœrore conturbas. Stulte non aurum, non argentum, non lapides pretiosi seruati potuerunt saluare seruātes, non ira cōtra seruos poterit te magnificentius extollere coram Deo, nisi forsan abominabilius erigere, ut casu miserabiliori corruens opprimaris, non domus, non prædia tibi emunt cælestis glorię mansionem, sed audis contra te, similesq; tuos Prophetam clamantem: Væ vobis, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Non copiosus conuiuiorum splendor apud altissimum, suosq; sanctos te facient gloriosum, nisi paupe-

res

res inuitaueris,renuens diuites,secundum Domini præceptum, non sperans ex eis præsentis retributionis munera, sed æternæ. Cogita hęc quęso medullitus,nec aliter poteris inuenire. Euigila tandem salubriter, velóciter surge,& curre sapienter, sperne diuitias propter Christum, & si nequis esse Matthæus, esto saltem Zacchęus. Ascende super Sicomorum,& vide Dominum transeuntem,& fac sollicitè,ut merearis audire, quod ille:Festinans descende, quia hodie oportet me manere in domo tua,a quo etiam in domo tua manente aliam mellifluę consolationis vocem audias,ex eius ore,benigne,dulciterq; prolatam: Hodie, inquit dominus,salus huic domui facta est;videbis enim quãdoq;,nec vtinam doleas,te ipso prudentiorem fuisse Salernum. Quid iste nunc faceret,si fideicommissis suas distribuendas diuitias reliquisset? ipso vtique dolente gauderent illi quidem alijs legatam pecuniã inter se forsitan diuidentes. Iam crescebat numerus Monachorum priorum fratrum laboribus,& sudoribus lętè cõmunicãtium, quos enim obedientię sanctę deuotio Christo Domino subdiderat seruituros gaudentes ad opus quodlibet exercebantur iniunctum. Iamq; vulsis è terra ruderibus frequenti cultu sulcantis vomeris resoluta,vineas ubertatem vuarum, arboresq; plantabant suauium fructuum abundantiam producturas. Sed ecclesia necessario tegmine reformata, dehinc dormitorio ex integro cõsummato ceteras exinde officinas opportunæ tradere reparationi contendunt. Mirũ iam quidem erat cernentibus nouos incolas, nouo ritu canonicos exercere labores,pulchrum,ac deuotum aspicere in ecclesia solutionem diuini operis regularibus vigilijs,& canonicis horis indirupta celebratione seruatam,dormitorij vilitatem stramentorum, in refectorio comedentibus fratribus solius vocem legentis audiri, pluribus mensibus quotidiana refectione cœnæ continuata ieiunia, asperam

cuncto-

cunctorum vestium ruditatem, silentij normam, arduæ districtionis seruãtia custoditam, mutuam, atque delectabilem sibi fratres impendere seruitutem, ad infirmorum curam super omnia diligẽtiam pietatis exhibitam, humilem, ac lętam susceptionem vndecumq; venientium, post orationis, & sacrę lectionis pabula corporum illis refectionẽ honesta ciborum sufficientia cum gaudio ministratam, ablutioni pedum congruam deuotionem flexis genibus attributam, demum fessis ex itinere membris solatium quietis indultum, & unius moris viuentes in domo amorem fraternitatis, & caritatem Christi perpeti custodire cõcordia. Si quando verò quospiam fratrum ad urbem, vel aliò descenderę perurgeret in ipsorum aspectus in platęis, & vicis residentium oculos cum admiratione deuotio conuertebat; gratius erat enim Monachos vili cultu mirari coopertos, quã gemmis, & sericis, ostroq; superbo super equos aspicere renitentes; quod enim rarius cõspicitur, auidius affectatur; augetur enim deuotio, cum ciuitas caret frequentia Monachorum. O Monachi, nolite quęso, nolite mundum, quem dereliquistis, reuidere, dicente Domino: Omnis qui ponit manum suam super aratrum, respiciẽs retrò, non est aptus regnō Dei. Fugite sęculum, cui renuntiastis, quia scriptum est: Omnis qui tanget picem, inquinabitur ab ea, nolite diligere per diuersa vagari, expressum est enim in regula, quia omnia necessaria debẽt habere Monachi intus monasterium, ne sit eis occasio vagandi, quia non expedit animabus eorum; & alius illustrissimus pater longè ante, verum, salubreq; protulit contra Monachos vagantes exẽplum, quo sic similes facit eos piscibus subtractis ab aqua. Iam suauis odoris fama seruorum Dei de nouo cœnobio extensis alis vicinos percurrens etiam ad exteros tanti facti nuntia peruolabat, non enim abscõdi potest ciuitas supra montem posita, ad quorum fragrãtiam vnguentorum

de

de longe, propeq; currentes flagitabāt in eorum sacro col legio se subijcere iugo Christi: ad hunc omni eorum vitæ cursu toto conatu, tota virtute, totisq; viribus prouidi via tores, tanquam ad certæ mansionis terminum, succinctis lumbis, & expeditis gressibus, ceteris uiris, negocijsque postpositis properare curabant, dātes virtutibus operam, ut ab eo singuli susceperant caritatis affectum. Hi patientię robore communiti, tranquilli, lætèque portant onera grauia præceptorum; alij humilitate suffulti, extremo contemptu contenti uiuunt. Illos gratia ministerij præditos, omnibus alacriter seruire delectat. Quanti silentio noctis quietem fessis membris necessariam subtrahentes, fratres suos cuiusq; ministerij honore præpeditos expedire, pluraque nullo nisi Deo teste, peragere festinabant? Sed qui tot bonorum exercitores contra violentas vitiorū molestias putet, inerti segnitie dormitantes? quomodo enim possunt fortes iustitiæ zelatores immunditiarum turpitudines non horrere? quos etiā grauissimè molestat subita surreptio cogitationum, vel leuis manifestatio risus, seu etiam uerbum ociose prolatū, de quibus indubitanter se credunt in die iudicij iuxta verbum Domini ad exactionem rationis arctari. Si professionem, uitæq; conuersationem perquiris eorum, regulæ beatissimi patris Benedicti obseruantiam cunctorum professio pollicetur, quę licet in eodem loco ardui districtione rigoris cæperit, adiuuat tamen ad præsens in eo obseruantiā ipsam gratia redēptoris. De obedientia taceo, quæ cunctis prælata commodis, tanta per eos maioribus donatur, quanta uix est à regula constituta: nec enim eorum pręlati à communi penso laborū sunt prærogatiua magistratus exclusi. Multa uerò quæ digna sunt memoria tædium prolixitatis respuēs narrare desisto, ad finem libelli tota festinatione contendens. His igitur ita procedentibus, dictoq; Monasterio tam fratrum

trum

trum, quàm fabricę quotidiano profectu cum pacis tranquillitate crescenti, multi ciuiũ Panhormitanæ urbis, quorum Deus cor tetigerat, quæ tunc in gloriæ culmine florens, tam nobilitate ciuium, quã frequentia plebis, diuitiarumque preciositate, & amęnitate delitiarum, omniumq; pænè rerum copia, & affluentia præpollebat, Monachorum iam laudabilem conuersationem probantes, de proprijs substantijs ad reparationem prædictam pia deuotione auxilium iuxtà facultatum sufficientiam ministrabant, nobilioribus, magnificisq; maiora ministrare parantibus. Iam tertium lustrum anno quintodecimo terminatum primæ indictionis subsecutus est annus, qui primitias tantorum malorum Siculis tulit, quę uix posteris poterunt fidei credulitate referri, magna etenim cęperat pace annus iste, fame, peste, gladioque cessantibus, gaudebant omnes bonis omnibus affluentes, & delectabatur in crassitudine anima Siculorum comedentiũ bona terræ: non enim Siciliam à vicino Regno, sicut elapsis à tunc proxime temporibus bellorum strepitus diuidebant, sed pace fruens vnusquisq; sub ficu, & vite sua manebat, agricultor non timebat prędam, nec artifices rapinam, neque diuites violentias: negociatores vero vix furum insidias suspicabãtur occultas, semitisq; latrone carẽtibus securi cãtare poterant nocte, dieque diuites viatores. Et heu, ecce clamor repente factus est magnus ab Oriẽte totius orbis terminos inauditi, horribilisq; tremoris nouitate concutiens, effusa est enim inde pestis inguinaria, quę per vniuersam terram, immensæque profunditate voraginis populos deuorauit innumeros. Hæc Siciliam primò in urbe Messana percussit, nec mora totius insulæ ciuitates, & loca tam celeri flatu sui veneni corrupit, ut adhuc illic crassante, penè Drepani accolas clade ualida prosternebat, sic ubiq; sæuiebat, ut multos uideres in vesperis sospites, quos sequenti luce sepul-

Panhormum. 1348. Regnum Neap. Pestis, de qua Io. Boccatius.

cro tradere festinabas. Quantæ domus repletæ desiderabilibus, quantæ delectabiles possessiones, & prędia, quanta preciositas metallorum extinctis possessoribus cum posteritate ad insperatos transuolabant heredes. Alij legitimas possessiones fugiebant, gladium sibi certæ mortis imminere uidentes: alij breuissimam suæ uitæ moram sine dubio pręnoscentes disposita domo interioris hominis, exterioris facultatis obliti cum pace spiritum exhalabant, & uix erat locus, defluebat & tempus, ut singulos singula sepulcra reciperent, vix enim sepulto patre, cum eo filius sepulcro claudebatur eodem, qui uiuus fuerat domi relictus. Hęc pestis duos de primis sex Monachis dicti monasterij, aliosque quosdam de nouis ad Christum transmisit in pace. Hęc & pro dolor, nec sine moerore dicendum, inclytum, atq; illustrem Ducem Ioannem patruum Regis hac abscidit à luce, qui pro imbecillitate dicti sui nepotis adhuc in annis puerilibus positi; suæq; tutelę commmissi iura Regni tanto iustitię libramine moderabatur, ut cũ frequentius, quasi ex accolis nemorũ manentes in siluis comites multo milite circũdatos, in urbibus, & castellis fulgentes, solius odore nominis formidine prosternebat, quorũ mentium discordiam tanta concordia contra ipsorum desideria colligabat, ut nemini fixum limitis terminum excedere liceret impunè. Cuius morte, pro dolor, Rex puer sine tutore, regnum uerò sine gubernatore remansit. Et heu, ecce quali mors in eos, quos recipere spreuit Siculos, est crudelitatis uerbere nouercata. Tunc enim aperta sunt uasa iniquitatis, uasa pro nefas, irę, furoris, & contumelię, uasa reprobationis, & horroris, & allata sunt uolentibus bibere, biberuntq; qui uenenata potione potati corrupti sunt pęnè omnes à maximo usq; ad minimum, & abominabiles facti in studijs, & in iniquitatibus. Quis fuit, qui remaneret, & faceret bonum

Ioãnes Aragonius Dux Randatij.

Ludouicus Rex.

num; & apertum fuisse uidetur sigillum, unde monstratus est equus pallidus, cui nomen, mors, & infernus sequebatur eũ, cui data est potestas, ut interficeret gladio, morte, & bestijs terræ. Hæc omnia uenerunt super nos, nec adhuc emendationi studemus, sed utinam iudex post correptionem nos deteriores non inueniat, & inter flagella peiores. Et si dici liceat, effudit primus Angelus phialam suam, & factum est uulnus sęuum, & pessimum in homines, qui habebant characterem bestię. Ecce primum tũc patuerunt arcana cordium iniquorum, & reuelata est, ac cognita insipientia Siculorum, talis qualis à ueteribus non narratur, nec legisse meminit quisquã diligens scrutator codicum antiquorum, qui Siciliæ gesta recenseant, nisi forte cum, permissione Domini, datum legimus Sarracenorum gladio pro tempore possidendam; nam proceres nostri, qui uidebãtur regere populum ablato pauoris gladio desuper ceruicibus eorum in commune nefas concitati populum in sua uiscera conuerterunt, qui pacem sustinere non ualens, effusus est, sicut aqua, ut faceret malum, nec inuenitur causa, nisi quæ scribitur.

Inuidia Siculi non inuenere tyranni maius tormentum. Iamq; uulgus, quod adhuc peste crassante, nocte, dieq; limina uisitare Sanctorum, litaniarum, rogationumq; processionibus, flagellorum stimulis, nudis pedibus, uocibus præcedentium paruulorum, & sequentium feminarum post salutare uexillum Crucis ad pias aures Dei clamantium pro impetratione misericordię, uidebatur, ut cessaret quassatio, uix adhuc illa cessante conuersum est in furorẽ prædæ, rapinæ, direptionis, & cædis, factiq; sunt pedes eorum ueloces ad effundendum sanguinem. Dexteræ parantur ad gladium, uoces uerò dudum clamantes.

Hic desunt multa.

parturiens grauioris discriminis fœtum, nisi partus à

primo natu priori gladij trucidatus intereat; tantorum enim malorum seruis Christi impulsione fatigatis, rerūq; unde corporalis uictus necessaria capiebant dispersarum in prædam patientibus detrimenta, quibus etiam multoties opus fuit capta præda cibare prędantes, insurrexerunt in eos testes iniqui. Cum enim bellorū infestantium mala

Panhormus Panhormum undique hostium sęuiente concursu igne, prę da, captiuitate, gladioq; cruento uexarent, concurrunt su-

Manfredus Claromontanus Motycæ Comes. surrones ad aures urbis prædictæ dominium obtinentis, suggerentes monasterium prædictum esse in laqueum malum, & in insidias ciuitatis eiusdem, ciborum fomenta hostibus ministrando, unde longius ipsorum, & ciuium damnis incumbant, & à monachis ingressus, & egressus urbis semitarum discentes accipiunt, quibus celeriori cursu, ac tutius ualeant in prædam irrumpere colonorum. Ad subuersionem igitur monasterij malignitatis concilium properat, ut seruos Dei disperderet, quorum conuentus cernebatur collegij dissipatio malignorum: sed obstitit Altissimi pietas non permittens ad tam grande facinus iniquorum præualere decretum; adstitit enim pro filijs pater ille, cuius opere principium reædificationis satis expres-

Manuel Archiepisc. sum est dictum monasterium, iuuante Domino, suscepisse qui & alijs de huiusmodi cum stimulantibus euersione tota uirtute restitit, mori potius eligens, quam tam sanctam fabricam iterata ruina conspicere dissipatam; profuit enim non minus Abbas ipse, qui pro suæ uitæ meritis

Manfredus Claromontanus. apud eundem Præsidem, ceterosq; ciues tota deuotione uenerabilis habebatur, sed & ipsius orationum pinguia sacrificia, cæterorumque confratrum ad excelsi solium Regis ascendentia dissipationem malorum consilij, quis ambigit meruisse? Orante igitur Dauid infatuauit Dominus consilium Achitophel per cōsilium Chusai Arachitæ. Audistis igitur Christi milites inter Scyllā, & Carybdim

positos

positos sæui turbinis tempestate quassari, quærentibus illis prædam, istis vero subuersionem molientibus, illi exteriorum rerum direptionem, isti dissipationes cupiũt animarum, illi terrenam substantiam concupiscunt, isti, pro dolor, spirituales diuitias dissipare conantur; sed domus Israel sperauit in Domino, adiutor eorum, & protector eorum est, adiutor utiq; in tribulationibus, sicut quotidie rerum demonstrat euentus, nam inter tot angustias, & pressuras adiuti clementia Saluatoris sine timoris strepitu validissimè perstiterunt in nullo deficientes, sed in tribulatione gaudentes. Quibus adhuc exigitur nouus labor necessario veteribus adiungendus: perditis enim bobus, quorũ adminiculo victus necessarij commoda de messium fructibus colligenda Monasterio sine fratrum occupatione dabantur, compulsi sunt in sudore vultus quærere panem suum, idest vehementi labore ligonibus scindere glebas, scissis semina spargere, sparsa colere, culta custodire, custodita colligere, collecta ne à prædonibus penitus raperentur, Panhormum proprijs humeris insolitis oneribus asportare, deinde vero ad Monasterium ineptioris oneris pondere reportare. Quid putas pro necessitate victus, cũ feruor æstiuus, seu pluuiæ brumales inuenerant in ipso itinere depressionis violentia fatigatos? Tanta etiam, non dicam paupertate, sed inopia premebantur, ut ipsarum rerum, quas naturæ necessitas expetit, non tantum vestium, sed exilium satis, indigentiam pacificè sustinebãt. Felix quippe paupertas, & monachis præcipua virtus, totisq; animi viribus expetenda, sine qua pauperes erunt, & inopes, & largas possessiones, & ampla prædia possidentes; cuius laudes texere reprehensionem vereor, videns has sanctissimorum patrũ sacris sermonibus explicatas. Audeo dicere tamen, quia periculosum est satis Dominũ in veritate quærentibus sub prętextu paupertatis necessaria quærere, &

ultra necessitatem super habitis, vel habendis animos occupare; hi vero tanquam nihil habentes, & omnia possidẽtes non deficiebant per auxilium inspectoris superni omnia infatigabiliter cum gaudio ministrare. Renouabantur viribus in agone, quia manus Domini erat cum eis; conualebant fatigati, quia fortitudo eorum, & refugium Christus erat; gaudebãt in angustijs, & pressuris, scientes, quia angusta, & arcta via est, quæ ducit ad uitam, & per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei, quia non sunt condignæ passiones huius sæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Mira adhuc res, nec prorsus sine miraculi stupore credenda, nam prefata fame bellico gladio sociata diutius in Siculis crudeliter preualẽti, & degentibus in ipso Monasterio quotidie pluribus quinquaginta personis, fratrum numero computato, non solũ famis angustias non senserunt, verum etiam miserabiles pauperes famis inedia tabefactos iugi concursu ad Monasterium, velut ad domum refugij, cladis posternentis gladium fugientes, & insaniam trucidantis, indeficienti subsidio, piaq; miseratione Abbas, & Monachi non inani fiducia pro Christo reficere letabantur, hospitibus, qui nũquã defuerant, vel undecumq; venientibus similiter congrua sufficientia ministratis: & vere pius Dominus operatus est in seruis suis, quod de ipso legimus: Nouit Dominus viam immaculatorum, & hereditas eorum in æternum erit, non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. Mutuabitur peccator, & non soluet, iustus autem miseretur, & retribuet &c. Sed adhuc eos scãdalorum bella concutiunt, & cum imminentibus periculis tribulationes non desunt. Exierunt de ipsis filijs Belial, duo videlicet de numero fratrum castrum Mõtisregalis, proximum, & perspicuum Monasterio, quod sub prædicti Præsulis, & patris eorum custodia tenebatur, aduersantium manibus tra-

Castrũ Montisregalis. Manuel Archiepisc.

tradere disponentes, sed defecerunt in vanitatibus suis, ex quo contra Monasterium, Abbatem, & Monachos grauia detrahentium scandala, grauioribus comitantibus periculis processerunt. Fuit & alius, qui exigentibus culpis, disciplinę regularis correptioni suppositus, humiliari pro superbia culpæ perpetratæ refugiens, silentio noctis, more fugacis serui, ruptis custodię vinculis, Monachorum pudoris ignarus, propriaq; salute contempta, fugam arripere non erubuit, & prędictæ ciuitatis Præsidis per eandem secundum morem procedentis equi, super quo confidebat intrepidus habenas arripuit, seq; tãquam zelatorem suũ, vehementer afflictum, conquerens ab Abbate prædicto nequeunte nomen eius solo auditu percipere, immo suis hostibus prospera cupiente, aliaq; plura contra eumdem Abbatem mentiri non timuit, quę facile poterant Pręsidẽ ipsum propter suspiciones temporum ad noxium furorẽ inflectere, sed dignè contemptus ab eo, nec reddito suæ temeritati responso, confusus abscessit. His similes, si quæ sunt contra eundem Abbatem caussę læsionis exortę, ipse in omnibus immobilis constitit, & sine querela studens misericordiæ, non vindictæ, benignitate contumaces reuocans ad medelam, non ultionem talionis exquirens, cui hoc studium speciale, curaque singularis inerat, ut Manfredus Claromontanus. Fr. Angelus Abbas. Fr. Angelus Abbas. vepribus radicitus euulsis, vinea Domini diligenti cultu purgata, propagine multiplici germinaret ad vites veras palmites fructiferos educturas, & domus Domini non tam mortuorum lapidum congerie fabricata concresceret, quàm viuarum gemmarũ preciositate splenderet ornata, & quia scriptum est: Magnũ gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, quia tribulatio patientiam operatur, tantò virtus probata crescebat illorum, quantò intra scandalorum, & detractionum morsus stabilitatis robore persistere conabantur. Audistis milites pro suo Rege

iure legitimo fortiter decertantes? Audistis manus fatigatas nunquam retractas à pugna? Audistis nautas nunquam aduersitatum procella confractos? nec succedentibus prosperis inaniter exaltatos? Isti sunt custodes, quos Dauid in Idumeę pręsidio collocauit. Hi sunt veri milites Christi, qui tentationum tempore nō recedentes, fructum in patientia protulerunt. Admirantur multi strenuitatem, constantiam, & fortitudinem illorum, qui in arcium præsidijs dura obsidione cōclusi, iuges, & infestas obsidētium impugnationes viriliter tolerantes, terribilium arietum ictibus iugiter lapidati, crebris balistarū iaculis impetiti, sitis, & famis tædio tabescentes, fortes, & intrepidi perstiterunt, dominis suis fidei stabilitate probati pro gloria laudis dignè munera suscipiunt, & honores: nec ego verebor seruorum Christi præclaram militiam à veritate non dissonans commendare; utrorumq; quidē pugna tantum distat, quantum dignitas dominorum, quantum diuitiæ præmiantium, quātum iuuantium potentia, quantum gloria coronantium, quantum preciositas brauiorum. Quis enim sine reprehensionis timore non extollat hos milites, quorum palma tantorum præliorum experta certamina, per aduersa, & aspera patenti longanimitate probatur? & quos tanti labores tribulationibus inserti à Christi charitate nullatenus diuiserunt. Quis enim sufficienter valet cogitare mala malis addita, quæ toto bellorum tempore infatigabiliter tolerarūt in frigore, & nuditate, in ieiunijs multis, periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus, periculis in nocte, periculis in die, illinc hoste prædante, illinc insidiantibus amicis; ipsi autem, cum ijs, qui oderunt pacem, erant pacifici, retribuentes bona pro malis, orando pro persequentibus, & calumniantibus eos, angustiati, & afflicti, laborantes manibus suis in multis sudoribus, & agonibus, si-

bi,

bi, alijsq; necessitatis pabula ministrantes. Et hæc quare? non quidem pro mundana retributione, non pro flatibus humanæ laudis, non pro vmbratili, leuiq; fauore gloriæ temporalis, sed de mercede retributionis ęternæ certa cautione securi, si permanserint in tribulationibus vsque in finem. Non enim isti cateruas armatorum à terrenis ducibus in auxilium quæsierunt, cum eorum pecora diriperent prædatores, quorum quotidianos impetus maluerunt per peti cum iactura rerum pacem tenētes cum illis, & panem dantes, quam in eorum sola trepidatione à proximis armigeris tutelæ refugium postulare; sed auxilium, non vindictā spectabant ab illo, de quo legimus: Salus autem iustorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis, & iuxtà est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Custodiuntur arces, & castella sollicita vigilantia, quibus substantiæ fluentes, & corpora mox lapsura seruantur, & nautarum miramur obedientiam suo præsidenti seruatam, ipseq; de vigili pręsidentia mirabiliter prædicatur, miremur & hos nautas, qui fortes, & fideles in angustiarum voragine perstiterunt in multa patientia, inter tantos procellarum impulsus pelagi fluctuantis fixo clauo nauem seruantes, & merces, prædicetur & ipse Præses, cuius doctrina nautas ipsos operibus, & exemplis *Manuel Archiepiscopus* edocuit ad nauis gubernacula in imminēti discrimine corrigenda, sed vigilantior, ac præstantior ipse ceteris inter turgidas inundationes sæuientium aquarum propulsam nauem multorum saluti profuturam conseruatis mercibus de proximo naufragio, succurrente Domino, liberare probatus est. Iam cum duobus lustris tres anni fluxerant tertij dimidij pane completo sequentis, i dest, post tertium 1350. decimum annum reædificationis Monasterij, cum respexit Dominus super afflictionem populi sui, misertusq; pauperum suorum dedit eis pacem cum abundantia, malorum

uniuersitate sopita, inter proceres, pacis fœdere confirmato: si quæ tamen post hæc sunt inter eos seditiones exortæ, & concordiarum cõtritiones misericordia Domini eas publico cessare fecit ab actu, populo celeri pacis reformatione gaudente; non tamen discordia cessat in cordibus illorum, quæ quandoq; velut aqua de gurgite repleto repentè procedens manat effrænis, quandoque digesto furo re sopita quiescit, populus tamen non cæde, sed tributo, non crudelitate gladij, sed rerum exactione grauatur, non vni, sed, quod grauius est, multis onus seruitutis impendēs Eo tempore, crescente numero fratrum in Monasterio præfato, cæpta fuit fabrica Monasterij de Burgetto per eundem Abbatem sub decoratione vocabuli beatissimi Benedicti, idest in anno natiuitatis Domini millesimo trecentesimo sexagesimo, indictione decimatertia, quod quidem feudum Burgetti legatum est à quadam nobili matrona de Panhormo, nomine Margarita de Blanco pro amore Christi ad remedium animæ suæ, atque compensationem peccatorum suorum dicto Monasterio S. Martini, vt in eo Monasterium construeretur, non tamen à prædicti Monasterij S. Martini dominio, & iuribus alienum, vt in ipsius matronæ testamento in suis vltimis sollemniter condito, & in archiuijs ipsius Monasterij reposito, clarius, & latius continetur. Quod quidem legatum per confirmationem domini, ac inclyti Frederici illustris legitimi Regis Siciliæ extitit omnibus sollemnitatibus roboratum, qui etiam Monasterium ipsum ab omnis seruitij onere pro dicto feudo regiæ curiæ per ipsius præteritos possessores, & Barones, ac per ipsum Monasteriũ annua exactione debiti benignè, ac gratiosè liberauit, & gratanter exemit, ut in ipsius domini Regis priuilegij serie regalis sigilli appensione muniti legi potest latius, & videri, quod in dicti Monasterij archiuijs repositum conseruatur. Anno autem natiuitatis

Monasteriũ de Burgetto.

1360.

Margarita de Blanco.

Fredericus Rex

tatis Domini millesimo trecētesimo sexagesimo secundo 1362.
quintædecimæ indictionis dicti tertij lustri iam extremo,
qui successit post prædictam concordiam, de mense videli
cet Aprilis, illa pestis inguinaria de Occidente repetens
Oriētem per totum orbem eadem voragine, qua primum
sed nō simili celeritate, populos deuorans, totam Siciliā,
à Drepano incipiēs, visitauit, non tamen, tam grauē mul-
titudinem absorbuit, quia iam pænè hominibus morte,
gladio, fameq; consumptis, non inuenit tantam abundan-
tium copiam pabulorum. Hæc circa undecim fratres dedi
cto Monasterio feliciter abstulit, necnon prefatum Archie *Manuel Archiepiscopus*
piscopum Manuelem transmisit ad Christum, cuius predi-
cti Monachi paternitate relicti pro mœrore contristati lu-
xerunt. Huic alius successit Archiepiscopus, nomine Gui- *Guiliemus*
lielmus, qui super quæstione decimarum feudi, quod dici- *Archiepisc. Montisregalis.*
tur, lu Chalcu, & li Castelletti, Caputū, quas præfatus præ
cessor eius dicto Monasterio contulit, & bullis Papalibus
confirmauit, vehementer Abbatem, & Monachos infesta-
uit: qua quæstione ad sanctæ memoriæ Papam Vrbanum *Vrbanus V.*
Quintum delata, ipsius domini Papę gratiosæ sanctionis
decreto, præfatum Monasterium dictarum decimarum do
minium obtinuit, & obtinet ad præsens, suscipiendo ipsa-
rum annuatim fructus, seu redditus, & prouentus. Idem ve
rò beatæ recordationis Papa sex Monachis de dicto Mo-
nasterio Sancti Nicolai de Arena susceptis, ipsorum infor
mationis exēplo venerabile Monasterium Montis Casi- *Monasteriū*
ni regulari obseruantia reparauit, anno videlicet incarna *mōtis Casini*
tionis Dominicæ millesimo trecētesimo septuagesimo, in 1370.
dictione octaua. Ac vero vsq; ad præsentes dies prefatum
Monasterium sancti Martini vigore pristinæ conuersatio-
nis, internę pacis quiete fruens, Christi militia per pullulā
tia benedictionis germina multiplicata sub eodem Abba
te lætatur, & gaudet, Saluatoris clementia confouente, ad

cuius laudes,& gloriam hęc ſcripta ſunt,& cum quiſq; bonum opus bona intentione inchoauerit, quamuis pauper, diſcat à ſuperna gratia minime diffidendum, ſed magis cũ fiducia ſperet auxilium deſuper affluentis gratiæ conditoris. Quis enim credidiſſet locũ tãta deſolatione deſpectũ, à ſex monachis, nihil aliud, quàm ſe ipſos poſſidentibus, inchoatum, ad tantæ decorem gloriæ peruenturum? antiquarum ſordium fœditate concretum,denſumq; anfractibus,& fructetis nitorẽ tantæ munditię,blandienti delectatione,intuentium oculis placiturum, gloriam verò, atque nitorem,non tam materialis fabricæ,quam ſpiritualis, nõ tam pullulantium arborum, & plantarum, quam internarum virtutum habitatorem dicere volui. Ecce horrenda fœditas boſtaris facta eſt munditia ſanctæ domus; ecce fætida caula vaccarum facta eſt redolens habitatio Monacorum;ecce contempta vilitas tugurij caſei preſſionis redacta eſt in ſublimitatem dignitatis altaris Euchariſtiæ precioſæ;ubi quondam bubulcorum vox in vanum confuſa fremebat,nunc monachi quiete ſilentij Dominũ humiliter meditantur; ubi quondam taurorum furens mugitus aerem terrebat, & colles,modò voces pſallentium, & orãtium, cœlis penetratis, ad aures tranſeunt ſummi Regis; & ubi quondam nugax vox paſtorũ cantabat inania, ubi turpiloquus fabulator ſuper armenta vigilabat, in nocte ſurgunt, ecce ad ſpirituales vigilias, & pſalmos, ante lucem vigilant ſacris lectionibus, & hymnis, inſtant laudibus,& canticis incumbunt,gemitibus, & lacrymis æterna meditantes,& cæleſtia Monachi feruentes,& Chriſti vigiles ſeruitores; ubi quondam ruderum fructeta,& multiplicitas perplexa ſpinarum,ecce florentium arborum, roſarũ, liliorumq; fragantiam tranſeuntium demulcentem aſpectus in ſuauem refectionẽ olfactus mitis flatibus aurę tempus vernale diffudit; modulantium volucrum cantibus

per

per arbusta transuolantium, & tecta cum aurora surgentium delectatur auditus; influentium fructuum propria vicissitudine succedentium temporibus suis gustus recenti suauitate nutritur. Ibi cerasa primum refrigerium in æstatis feruore portantia ruboris oculos perfusione delectant, sed amabilius gustui saporis dulcore mitescunt. His antifolia ceteris amabiliora succedunt. Ibi ficuū varia delectatione redundat Autumnus. Ibi vua vitibus pendens duplicis coloris decore blandiēs aspicientes allicit, placet aspecta, satiat vrētes, sed proficit, & sufficit sobriè sumptum, quod ab ipsa in torculari compressa diffusum, inclusum vegetibus cōseruatur, necessarium sanis, ut conseruet, ægris verò, ut roboret, & confortet. Ibi nucum collectioni vix manus sufficiunt Monachorum. Ibi multimodi generis pomorū suauis amænitas, vtrique statui congruens per annum seruata proficit, & delectat. Ibi ab infirmorum differenda cōspectibus persicorum illicitus superefflluit pulchritudo. Ibi commoda pinguedine speciositas nouo germine pullulat oliuarum. Ibi multarum arborum sua vice fructus educentium sterilitas ignoratur. Ecce comedunt Monachi labores manuum suarum, & fructibus obedientiæ cum benedictionibus, & gratiarum actionibus delectātur. Ecce vides terram quondam in solitudinem redactam, & necessario deficiente cultore, commoditate vacuam, iam sanctorum Monachorū cultu, lacte, melleq; manantē, & abundantiā frumenti, vini, oleiq; pinguedine affluentem; quæ tamen non voluptuosis delectationibus famulātur, sed sicut vitæ Monachi Deum diligentis noscitur opportunum vsui necessitatis inseruiunt moderamine parcitatis. Sunt enim & aliæ arbores ibi non quidem materiales, & vegetabiles, sed rationales, & spirituales, transplantatæ super riuos aquarum, quæ ad humorem mittentes radices suas non timent cum venerit æstus, nec aliquando desinunt facere fru

ctus, Hę sunt arbores Deo, & Angelis in viriditate frondium, in suauitate florum, in fructuum amænitate delectabiles, & placentes, sub quarum umbra in æstus flagito refrigerari feruore, & vętrem de ipsarum fructuum reliquijs satiare famentem. Videtis iam Domini campos ubertate repletos, deserti spatiosa pinguescere, & exultatione valles accinctas. Lętatur ecce deserta, & inuia, & exultat solitudo, germinans germinat, & exultat lętabunda, & laudans. Noscite, quæso, noscite non ingrate vos quicunque futuri Monachi estis, in monasterio prædicto, laboribus illud indefessis fratrum, pijsque sudoribus, Domino cooperante, completum; cuius clementia gratis laudibus admirantes ad conseruationem loci tantò feruentius inardescite, quantò noueritis eundem pro se laborantibus retribuere pro temporalibus laboribus ęterna paratū; quia fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos: qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, & quia sine ipso nihil possumus facere, humiliemur ei, eius auxilium fideliter inuocantes, & non deerit nobis, qui promisit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, &: Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum ego. Laborate ergo securi de retributione æternorum gaudiorum, quia si collaborauerimus & conregnabimus, & si fuerimus socij passionum, erimus & socij consolationum, ipso miserante, & adiuuante, qui viuit, & regnat cum Deo patre in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

Versus

VERSVS DE HIS BREVITER.


IAM terni luſtri præmiſerat vltimus annus xv. indict.
Mille trecẽtos annos, quadragintaq́ ſeptem 1347.
A Gabrielis Aue, vel partu Virginis almæ,
Octauus feſti ſtellæ quando celebratur,
Iſtud Cœnobium decoratum nomine, Sancte
O Martine, tuo ſuſceperunt habitandum,
Eiectis vaccis, & earum ſordibus inde
Sex frẽs, quorũ caput extitit Angelus Abbas. Fr. Angelus Abbas.
Quos Manuel Præſul Montisregalis Arenæ Manuel Archiepiſc Mõtiſreg.
Cœnobio duxit, quod Sancti nomen honorat, Monaſterium
Qui tres exemit de ſtupri labe ſorores, S. Nicolai
Innumeris & ſignis quem Chriſtus decorauit. de Arena.

Hi poſtea, ut conieci, alia manu additi ſunt,

Angelus hic Abbas deceſſit menſe Nouẽbris
Ternam poſt lucem lux cæpit prima Decẽbris, 27. Nouẽb.
Vnum ſi quadraginta dabis, tot præfuit annis,
Veſte, cibo, cella pauper nocuis ſine damnis,
Septimus annus erat tũc iunctus mille trecẽtis
Et decies octo natalis cuncta regentis. 1387.

PRIVILEGIVM

MANVELIS. SPINVLAE



DE. LVCVLO

ARCHIEPISCOPI. MONTISREGALIS

Monasterio S. Martini suæ diœcesis.

Apientia ędificauit sibi domũ, Iacob tabernacula fabricauit, Salomon templũ figuratiuè cõstruxit, & Christus Iesus sacrosanctã Rom. Ecclesiam fabricaturus aueniens, & semetipsum fundamentum, ac lapidem angularem submittens, ut nũquam procellarum incursu, ac impetu ventorum deficiat, eam super petram, quæ ipse Christus est firmissimè, sine ruga, vel macula stabiliuit, ac in ęternum cum ipso victuram fundauit: ad hoc maximè prouocans suo exemplo fidelium turmas, cum augmẽto, ac robore S. matris Ecclesiæ, sicut pater noster venerabilis Benedictus, qui duodecim fundauit monasteria, fecit dirutas Ecclesias, de nouo constructas reędificare, & facere. Nos igitur Manuel diuina miseratione, & summi Pontificis gratia Mõtisregalis Archiepiscopus, quamuis ad comparationem præmissorum exigui, & ad eorum prosequutionem tantilli, talium vestigia imitari, ob reuerentiã Iesu Christi cupientes, præsentis priuilegij tenore notum facimus uniuersis præsentibus, & futuris pro huiusmodi pręceptis salutaribus moniti, ut cooperatores simus piorum operum, & bonorum, cupientes agere in terris quod Deo placeat in excelsis, dum in hoc calle lubrico, & vita miserabili sumus, ad laudem, & gloriam indiuiduæ Trinitatis, ac honorem S. Martini, ad quem afficimur

mente pura, quoddam monasterium longiusculè distans ab Vrbe Panhormi, nostræ tamen diœcesis, quod sub eo vocabulo per B. Gregorium olim dicitur institutum, antiqua tamen vetustate destructum, ad Christi actus, & opera, & ad suę integritatem originis, & decoris, nostris proprijs sumptibus,& expēsis unà cum monachis nostris, cum consilio, & eorum consensu cupimus ad integrum restaurari, ut per gratiam Saluatoris fiat templum suum, sacrarium Spiritus sancti, & spectaculum Angelorum, statio etiam monachorum sanctorum, quod dudum nouimus ouile pecudum, & speluncam ferarum, atq; in eo spirent ornamenta virtutum, & voces dulcisonæ audiantur psalmorum, ubi erat silua primitus spinarum,& besti sępe sępius vlulabant camporum. Ceterum ut dignè Domino, & laudabiliter seruiant ibidem, atque diuinu officiū,quod tanto tēpore neglectū fuit de cetero augeatur, & crescat per gratiam canticorum, venerabilem, & honestum Fr. Angelum de Sinisio de Catania ordinis patris venerabilis Benedicti, virum utiq; monasticis actionibus approbatum, virtutum exercitijs deditum,ætate maturum, spirituali scientia clarum, ac de legitimo matrimonio natū cū suis socijs, vndecim uidelicet monachis sanctitatis gratia plenis, Christo deditis, & in regulari obseruantia longo tempore assuetis, à monasterio sancti Nicolai de Arena Cataniensis diœcesis, cuius fama laudabilis vndique volat, ex impetrata gratia ab Abbate, ad crebram nostrarum precum instantiam extractum, & à suæ vinculo obedientiæ solutum, ac nostræ charitatis visceribus obedientiæ vinculo cum socijs, vt præmisimus, alligatum, ac per nos ipsum de tam longinquis regionibus personaliter adductum in nostro monasterio prælibato S. Martini cum prædictis fratribus suis prouidimus moraturum. Sanè considerantes, quòd eis esse sine pastoris regimine non licebat, quousque in Abbatiam dictum

F. Angelus de Sinisio.

mo-

monasterium per sedem Apostolicam, cui hoc signanter A
incumbit authenticè cõfirmetur, de rectore congruo fratribus prouidentes, eisdem ipsum fratrem, alijs maiorẽ æuo, & ceteris digniorem, ab ipsis electum secundum canonicam sanctionem, nostra pręfecit, ac confirmauit B
auctoritas. Ad hoc ut bonus pastor Euangelicus ouile dominicum olim destitutum, & vacuum impleat, gratia ineunte, ac substentet diuina ouium Christicolarum, ordinamus etiam, quòd si Prior, vel Apostolica gratia præfuerit Abbas dicti monasterij, & de hac vita decesserit, is qui in Priorem, vel Abbatem secundum regulam, & Dei timorem electus fuerit, confirmatusq;, & ordina- B
tus à nobis, vel successoribus nostris, aut ab ipsa Ecclesia Montisregalis, sede vacante, petere teneatur, et nos ipsi, & successores nostri, vel Ecclesia nostrã, ipsa fortè vacante, diligenti prius examinatione pręmissa electionem eandem cofirmare, & admittere debeamus, & ipsum electum in Priorem, vel si contigerit, in Abbatem dicti monasterij instituamus, & confirmemus, si persona reperta fuerit electus lege canonica obseruata, alioquin electo ipso repulso, ipsi monachi dicti monasterij aliam idoneam, & Deum timentem, ac diligentem, si in prædicto monasterio reperta fuerit, aliàs, prout de iure fuerit, aliunde eligere teneantur, quæ confirmationem, ac be- B
nedictionem petere debeat, & habere, ut superius est expressum. Item ordinauimus, & disposuimus unà cum capitulo, & monachis nostris, quòd ipse Prior, vel Abbas, prout præmisimus, si contigerit, qui in dicto monasterio pro tẽpore fuerit, singulis annis in festo videlicet S. Marię mẽsis Septẽbris simul cũ omnibus monachis eiusdem monasterij, duobus, vel tribus in monasterio præfato pro custodia ipsius monasterij, & infirmis monachorũ dicti monasterij reseruatis, & penitus inde exclusis debeant venire processionaliter in prædictam Montisregalis Eccle

ſiam, & in ſignum honoris,& reuerentiæ eccleſiæ memora tæ quilibet eorum, ut ſuprà venientium in manu candelã ponderis vnciæ vnius cenſus nomine portabit, & aſſignabit,& ſi contigerit in dicto monaſterio monachos augmẽtari, non tamen teneantur venire, niſi Prior, vel Abbas ſi fuerit,cũ decem monachis monaſterij ſupradicti. Necnon & in feſto B. Marci Euãgeliſtæ ſimiliter debeant, ut dictũ eſt, accedere ſine candelis,cum rotulo vno incenſi tantũ, cenſus nomine, eo quòd in ipſo die eſt feſtũ conſecrationis ipſius Mõtisregalis Eccleſiæ, ac etiã intereſse debeãt in dictis feſtiuitatibus,in Miſſa maiori videlicet,& in Veſperis. Item quòd ipſe Prior, vel Abbas, qui inſtituentur ibidem,& monachi,ordines,chriſma,oleum ſanctũ,viſitationẽ,& ea quæ in ipſa continentur,correptionẽq., & cuncta eccleſiaſtica ſacramenta ab ipſa Montisregalis Eccleſia recipere teneantur,& non ab alia,abſque eius licentia ſpeciali. Itẽ quòd dictum monaſteriũ habeat cimiterium dictorum monachorũ, & aliorum ibi ſepeliri eligentium. Itẽ quòd Prior,vel Abbas,qui fuerit ibi pro tẽpore, quotiens citatus fuerit ad ſynodũ, vel ex alia cauſa legitima, propter quod non habeat excuſationem legitimam comparebit, & inſtabit in omnibus,quæ opponentur eidẽ. Itẽ volumus, ut ſi nos,vel Prior, vel alius monachus noſtræ Mõtisregalis Eccleſię cauſa deuotionis ad dictũ monaſteriũ acceſſerimus perſonaliter,excepto tẽpore viſitationis, dictum monaſteriũ dare nobis teneatur in illa die victũ, tanquã uni monacho ipſius monaſterij,& nihilominus damus,& concedimus eidem Priori,ſeu Abbati,qui pro tẽpore fuerit in monaſterio ſupradicto, & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum licentiam,auctoritatem, ac poteſtatẽ liberã ſine noſtro, & capituli noſtri conſenſu monachos in profeſſione recipiendi in monaſterio ſupradicto, ipſosq. corrigendi,cum opus fuerit,& carcerandi. Sed conſiderantes equidẽ, quod obſequiosè Domino intuitu monaſtico mi-

niſtran-

nistrantes habere debent aliquod prędium stabile, unde uiuant, eo ꝙ ipsis est prohibitũ mendicare secundũ canonicã sanctionẽ; de opportuno uitę subsidio prouidere pietatis necessitudine cupiẽtes, eidẽ F. Angelo pro dicto monasterio, ac pro se, & dictis suis fratribus tam præsentibus, quàm futuris, ac dicto monasterio pro eisdẽ, ut sic credimus, & speramus, apud tribunal ęterni iudicis misericordiam, & gratiam eorum orationibus adepturi, nostra gratuita, & fratrum nostrorum spontanea uoluntate, feudũ, & tenimentum subscriptis finibus limitatum, quod uocatur, de S. Martino, ubi dictum monasteriũ situm est, quod ad ipsum monasterium, ut credimus, antiquo iure spectabat, ualoris redditus anno quolibet unciarum decẽ de beneplacito, & cõsensu dictorũ fratrum nostrorum, nomine, titulo, & ex causa dotis, de charitatis abundantia, & affectu beneuolo irreuocabiliter inter uiuos, & in perpetuũ, quantum in nobis est, & nostris fratribus supradictis, atq; nostra, & eorum auctoritas se extendit, tam de cõsuetudine, quam de iure canonico, uel ciuili impetrato, uel quã etiam ex permissione Papali impetratę & impetrando, tacitè & expresè restituimus, ac de nouo concedimus liberaliter, & donamus, cum quodam paruo nemore aquarũ ductibus, arboribus domesticis, & siluestribus, terrisq. cultis, uacuis, & incultis, infra feudi prefati fines existẽtibus, atq; omnibus suis iuribus, rationibus, pertinentijs, & proprietatibus consuetis, tã pristinis, quã modernis, liberũ, & expeditũ ab omni debito, quæstione, obligatione, cõcessione, donationis uinculo, & onere, ac cuilibet seruitij seruitute, preterquã ab obligationibus, & oneribus suprascriptis, cũ quadã parte uineę, quæ olim fuit Vẽturæ mulieris de Ledongo, sita, & posita in cõtrata Caputi, sic limitata, uidelicet iuxta uineam Matthei de Ioanne Russo, & alios confines, reseruata decima ipsius uineæ eidem Montisregalis Ecclesiæ, item quòd non liceat dictis Priori, uel

Abbati, & monachis ipsius monasterij nemus prædictum incidere, vel incidi facere, nisi ad opus monasterij, & dictorum fratrum necessitatem, sub pœna tarenorum auri quindecim pro qualibet vice, nostræ præfatæ Ecclesiæ applicandorum. De cuius feudi possessione, tam prædictum fratrem Angelum pro parte dicti monasterij, ac pro se, quàm suos monachos, & successores eorum in perpetuum corporaliter inuestimus, dantes eisdem, & eorum successoribus in perpetuum licentiam, auctoritatem, & potestatem liberam dictum feudum, seu tenimentum terrarũ cum iuribus, & nemore supradictis, habendi, tenendi, possidendi, uti, fruendi, locandi, dislocandi, iura, redditus, & prouentus inde percipiendi, ac suis vtilitatibus, & necessitatibus applicandi. Volumus etiam, quòd si qua scriptura publica, vel priuata, aut priuilegium apparere possit, sub quacunque titulorum forma confectum, serie, vel tenore, quæ præsenti donationi videretur in aliquo obsistere, vel obesse, sit, & esse debeat irrita, inanis, & vacua, ac nullius valoris. Fines vero dicti feudi, seu tenimenti sunt hi, videlicet, incipit à Chalco, & vadit viam versus occidentem, vsque ad Ecclesiam S. Annæ, & ab Ecclesia S. Annæ vadit per cristam cristam cum aquis pendentibus, girans, & transiens per montem qui dicitur la Meda, & ab eodem monte per cristam cristam vadit vsque ad castrum, & à castro per cristam cristam usque ad portellam Sifric, & deinde vadit per cristam cristam versus orientem vsque ad podium, quod dicitur dili Mancusi, & à dicto podio cristam cristam vertitur ad prædictum locum, qui dicitur lu Chalcu; & sic cõcluduntur fines dicti feudi seu tenimenti. Exceptuatis tamen decimis vinearum olim factarum existentium in contrata Caputi, Sifric, Castelletti, & Chalcu. Decimæ vero vinearum ex nunc in antea in dicto feudo pro tempore plantandarum, volumus, ut dicto monasterio S.

Mar-

Martini pertineant, atque spectent. Volumus, etiam nihilominus, quòd præfati feudi, & vineæ præmissa donatio tunc obtineat valorem, & roboris firmitatem, cum à domino nostro summo Pontifice confirmata extiterit, & C legitimè roborata. Reseruatis similiter Ecclesiæ nostræ Montisregalis prædictæ omnibus iuribus spiritualibus, quæ habet, & habere potest in Ecclesia prædicta S. Annæ, quæ est in tenimento ipso S. Martini. Ordinamus etiam, quòd nulli successorum nostrorum, vel nostrorum monachorum præsentium, & futurorum liceat præfatum monasterium perturbare, aut ab eo, seu tenimentis eius aliquid aliud, quàm quod prędictum est, exigere, vel extorquere, vel eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, aut quomodolibet impedire. Si quis autem successorum, seu nostri capituli, hanc nostram constitutionis paginã sciens cõtra eam temerè venire pręsumpserit, reũ se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Cunctis autẽ eidem loco iura seruantibus, pax sit Domini nostri Iesu Christi, qualiter hic bonis operibus insistentes æternæ pacis pręmia mereantur in posterum adipisci. Ad confirmationẽ autem omnium præfatorum, & ad cautelã prædicti monasterij S. Martini pręsens priuilegium nos unà cum capitulo nostro fieri fecimus, in præsentia Fr. Iacobi Abbatis monasterij S. Mariæ de Nogara ordinis Cisterciensium, D. Girifortis Spinulæ de Luculo, D. Philippi Spinulæ de Luculo, D. Francisci de Bonacosis de Mantua, Christiani Spinulę de Luculo, Barnabę Spinulæ de Luculo, hic vocatorum, & rogatorũ, nostro sigillo pendenti, & subscriptionibus nostris, & quamplurium aliorum testium subscriptorum firmiter roboratum. Actum in Capitulo nostro Montisregalis Ecclesiæ Anno natiuitatis Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo octauo, mense Iulij die vigesimo octauo eiusdem mensis primę indictionis,

Fr. Manuelis Archiepisc. MR filius fratris Archiepisc. cõsanguineus Archiepisc.

nis, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Clementis Papæ Sexti, Anno eiuſdem ſeptimo.

† Ego Manuel Archiepiſcopus præfatus prædicta omnia confirmo propria manu ſubſcribendo.

† Ego F. Simon de Panhormo monachus Montisregalis Eccleſiæ pręfatæ omnia confirmo propria manu ſubſcribendo.

† Ego F. Matthęus de Panhormo monachus Montisregalis Eccleſiæ præfatæ omnia confirmo.

† Ego F. Franciſcus de Monteregali monachus ſupradictæ Eccleſiæ præfata omnia confirmo propria manu ſubſcribendo.

† Ego Ioannes de Monteregali, Clericus, ciuis Panhormi, Archiepiſcopali auctoritate dictæ Ciuitatis Montisregalis, & totius ſuę diœceſis publicus Tabellio, præfata de mãdato dicti Domini Archiepiſcopi ſcripſi, & publicaui, idemque priuilegium unà cum dictis teſtibus, vidi, legi, & meo ſolito ſigno ſignaui.



CLem. VI. Monasterium prædictum in Abbatiæ dignitatem extulit, ac F. Angelus de Sinisio Prior præfatus in Abbatis honorem à supradicto Manuele Archiepiscopo Montisregalis est promotus,& ab eodem benedictus. A B

Monachi sancti Martini de Scala ordinis sancti Benedicti,& diœcesis Montisregalis 15. Decembris 1377. datis ad F. Paulum Archiepiscopum Montisregalis litteris ab eo petierunt, ut electionem de persona fratris Ioannis Percopi factam in locum prędefuncti Abbatis Angeli de Sinisio confirmare, electumque benedicere dignaretur, atque ad id F. Bernardum de Turre, & F. Ioannem de S. Philadello procuratores constituerunt. B

Cum F. Gregorius de Matina Abbas monasterij S. Martini præfati decessisset, monachi F. Alexandrum Dertonensē, 9. Septembris 1482. elegerūt, & die sequenti F. Valentinum de Iordat procuratorē fecerunt, ut confirmationem peteret à D. Iacobo de Burrellis Decretorum Doctore, Canonico Panhormitano, ac Vicario generali Ausię de Podio Cardinalis & Archiepiscopi Montisregalis, in cuius diœcesi situm est monasterium, qui Vicarius 16. eiusdem in Metropolitana Ecclesia electionē cōfirmauit, & propter dicti Cardinalis absentiam electum ab Episcopo Mazariensi benedicendum remisit. B

Clem. VI. 31. Ianuar. 1352. donationem supradictā confirmauit, præter id quod continetur in vers. Si quis autem successorum. C



Manuel Spinula de Luculo Archiepi-
ſcopus Montisregalis, cuius expenſis
Monaſterium S. Martini de Scalis or
dinis S. Benedicti,& diœceſis Montis
regalis reædificatum eſt.



Ludouicus de Torres Archiepiſcopus
Montisregalis, cuius tempore li-
bellus hic de prædicti Monaſterij
reędificatione repertus, & primùm
exſcriptus eſt.



Ludouicus de Torres iunior Archiepi
ſcopus Montisregalis, cuius auſpi-
cijs præfatus libellus nunc excu-
ſus, eiuſque nomini dicatus eſt.

Sequens rithmus in vetusto illo codice erat, & quia eandem auctoris eiusdem pietatem, & antiquitatem præsefert, visum est hic eum subiungere, tum etiam ut nihil esset in manuscriptis illis membranis, quod non libellus hic impressus contineret.

IN BEATISSIMÆ

VIRGINIS MARIAE

ASSVMPTIONEM.

ALacre sit, atq; clarum
Tibi cor, o fidelis,
Collatam hodie cælis
Sumptã sanctã sanctarum.

Aduenerat dies grata,
Quam mundo migratura
Spectabat virgo beata
Cælestia scansura,
Cupitam semper visura
Beatam Trinitatem,
Sanctamque sodalitatem,
Quæ non sentit amarum.

Alacre sit &c.

Ad matrem potuit natus
Apostolorum chorum
Cõferre, quod tam beatus
Exitus a Sanctorum
Terræ turbis, & cælorum
Assumeret honorem,
Quam hæc vita lætiorem
Transmitteret non parum.

Alacre sit &c.

Habacuc ad Babylonem
Danieli qui misit,
Et qui mersit Pharaonem,
Quando mare diuisit,
Atque populum trasmisit
Pelagus per apertum
Ad incognitum desertum
Gressibus bestiarum.

Alacre sit &c.

Beatissima spectante
Iam transitum felicem
Cætu cæli comitante

Chriſtus ad genitricem
Deſcendit, ut ſibi vicem
Redderet pro labore
In ſempiterno ſplendore
Cæleſtium gazarum.

Alacre ſit &c.

Circumdatæ tunc Mariæ
Cætibus angelorum
Blandiuntur melodiæ
Dulciſonæ ſanctorum
Canentium circa thorum,
Vt exiret dilecta
Cæli dulcore refecta
Ad dilectum, & carum.

Alacre ſit &c.

De cuius vultu mox ardet
Anima delectata,
Vt in corpore non tardet
Cantibus inuitata,
A quibus dulcificata
Exit ad ulnas nati
Iam diu deſiderati
Affectu lacrymarum.

Alacre ſit &c.

Ecce Ieſus ſuam matrem
Brachijs complexatam
Lętam tranſportat ad patrē
Angelis ſociatam,
Et dulciter commendatam
A cœtu circumſtante
Cum gaudio cumulante
Cantus laudum dignarum

Alacre ſit &c.

Faciunt nouos concentus,
Et ſoni nouitatem,
Collaudat quisquis intētus
Virginis dignitatem,
Et matris nobilitatem
Dominam ſingularem,
Cui nullā cognoſcunt parē
In cœtu fœminarum.

Alacre ſit &c.

Glorioſam, atq; ſanctam
Cælicolæ mirantur,
Necnon ad virginē tantam
Deſcendunt, & lætantur,
A quibus interrogantur
Eam aſſociantes,
Atq; cū Chriſto cantantes
Voce melodiarum.

Alacre ſit &c.

Humiliter quæ conſcendit,
Vt conſurgens aurora,
Et vt ſol electa tendit,

Quaſi

Quaſi luna decora,
Et ut acies cum mora
In hoſtes ordinata,
Dicite quę ſit tam grata
Vincens lumen ſtellarum.

Alacre ſit &c.

Hæc quæ ſit imperioſa
Reſplendens caritate
Aſtum,faſtumq́; peroſa
Mirantibus narrate
Quæ mirè ſcandit, & gratè
Tętræ vallibus humi
Gracilis, vt virga fumi,
Quam dat aroma carum.

Alacre ſit &c.

Iſta non cognouit thorum
In ſorde,vel delictis,
Et neſcia peccatorum
Actibus, atq́; dictis
Totis ſenſibus depictis
Cælicis margaritis
Dat odorem,ſicut vitis
Virtutum præclararum.

Alacre ſit &c.

Kyrius hanc ſibi mundi
Elegit genitricem,
Vt tolleret ius profundi
Hominem infelicem,
Vt caperet & radicem
Velleret plantæ malæ,
Regnumq́; ſpirituale
Daret orbi terrarum

Alacre ſit &c.

Læta conſcendit cum nato
Ab ipſo coronanda
Diademate prælato
Nobiſq́; miniſtranda,
Hominibuſq́; roganda
Salutis ad iuuamen,
Et ad inſigne leuamen
Ab onere culparum

Alacre ſit &c.

Miranda prophetis ſanctis
Fuit hæc nondum orta
Surgens regalibus plantis
Cæli futura porta,
Vt dirigerentur torta
Scripturis præſignata
Veteribus,& velata
Tegmine figurarum.

Alacre ſit &c.

Maria felix eſt ſplendens,
Et clara ſtella maris,
Pacemq́; cælis impendens

Ac terris expers paris,
Eſt qua lapis angularis,
Ortus,& flos camporum
Exuperans liliorum
Decorem,& roſarum.

Alacre ſit &c.

Nulla ſic virginitatem
Sicut iſta dilexit,
Quam propter humilitatē
Deus ad alta vexit,
Et in ea magna geſſit,
Vt Regina virtutum
Fiat gladius, & ſcutum,
Et ſpes Chriſticolarum.

Alacre ſit &c.

O quam feliciter viæ
Veritatis,& vitæ
Mater in hac ſancta die
Collaudata mellitè
Per egregium,& mite
Collegium conſcendit,
Cui chorus decus impendit
Virtutum ſupernarum.

Alacre ſit &c.

Phœbus, & ſoror, & aſtra
Mirantur hanc ſcandentem
Inter tot præclara caſtra
Dilectum complectentem,
Et fiduciam habentem
Supra cunctas puellas
Poſſidentes cælo cellas,
Vt reginam earum.

Alacre ſit &c.

F I N I S.

